OD KSIĘGARZY
POLSKICH
Z OKAZJI
WSPÓLNEGO JUBILEUSZU
600-LECIA
UNIWERSYTETU
JAGIELLOŃSKIEGO
I KSIĘGARSTWA POLSKIEGO
PRZEKAZUJE
CENTRALA KSIĘGARSTWA
DOM KSIĄŻKI

KRAKÓW, W MAJU 1964

# TRACTATIO
## IVRIS PVBLICI PRVTHENICI
DE
# PRVSSIA
# NVNQVAM ET NVLLI TRIBVTARIA

AVTHORE
SAMVELE FRANC. GRÜTTNER
ELBINGENSI PRVSSO.



DANTISCI. MDCCXLI.
APVD GEORGIVM MARCVM KNOCH.

# CATALOGVS
ALIQVOT
# LIBRORVM
QVI
PROPRIIS SVMTIBVS PRODIERVNT
VT ET IN COPIA HABENDI SVNT
APVD
GEORG. MARCVM KNOCH
BIBLIOPOLAM DANTISCANVM.

---

Accurate Nachricht von der Rußisch- und Sächsischen Belager- und Bombardirung der Stadt Dantzig/ nebst einem nöthigen Anhang derer Manifeste/ Edicte/ Briefe und anderer Schrifften/ mit K. Cölln 1735. 4.

— Kurtzer Auszug alter und neuer Polnisch-Preußischer Kriegs-Geschichte/ oder 2ter Theil der accuraten Nachricht von der Rußisch-Sächsischen Belagerung der Stadt Dantzig/ mit K. ib. 1741. 4.

Das in Norden aufs neue angegangene Krieges-Feuer/ welches bey der Freyen Stadt Dantzig in volle Flamme gerathen/ als solches bey dem gut angefangenen Interregno sich an der Grentze gezeiget/ nach vollbrachter erster Wahl aber um sich gegriffen hat. Warschau 1735. 4.

Acta Lysczynskiana, oder ausführliche Nachricht von dem Leben/ Schrifften und Schicksalen des berüchtigten Polnischen Atheisten Casimir Lysczynski, aus glaubwürdigen Documenten zusammen getragen/ und gegen Gottfried Arnolds Ausflüchte ins Licht gestellet von George Dan. Seyler. Königsb. 1740. 8.

Cromers (Mart.) Beschreibung des Königreichs Polen/ von Andr. Schotten herausgegeben. Dantz. 1741. 8.

Zalu-

Załuſki (Joſ. Andr.) Specimen Hiſtoriæ Polonæ Criticæ. Warſav. 1735. 4.

Lengnich (D. Godofr.) Pacta Conventa Auguſti III. Reg. Polon. Commentario perpetuo illuſtr. Lipſ. 1736. f.

— Geſchichte derer Preußiſchen Lande Königl. Polniſchen Antheils/ 7. Theile. Dantz. 1722. f.

— Hiſtoria Polona à Lecho ad Auguſti II. mortem. Lipſ. 1740. 8.

— Polniſche Geſchichte von denen Zeiten Lechi an bis auf den Todt Auguſti des II. Dantz. 1741. 8.

Seyleri (Georg. Dan.) Orationes III. quarum I. de Cura poſteritatis, II. de Vinea litteraria, III. de Arte magna nihil ſciendi, accedit ejusd. Bibliothecæ Elbingenſis publicæ Diatypoſis hiſtorica. Elbing. 1736. 4.

— Hiſtoriſche Nachricht von wahrſagenden Müntzen/ oder derſelben Vorbedeutungen/ nebſt ihren accuraten Abriſſen/ deme beygefüget Joh. Jac. Brackenhauſen kurtze Nachricht von denen wahrſagenden Bilder-Säulen/ oder Statuen/ mit Kupf. Dantz. 1733. 4.

— 500jähriges Andencken von Erbauung der Königl. Stadt Elbing in Preuſſen/ mit Kupf. Elb. f.

Leben Stanislai I. Königes von Polen/ mit nöthigen Anmerckungen/ Urkunden und Müntzen erläutert von S*** nebſt dem Leben des Cardinals Mich. Radziejowſki, mit K. Stockh. 1737. 8.

Leben und Thaten Friedrich Wilhelms des Groſſen/ aus Medaillen und Müntzen erläutert von Ge. Dan. Seyler/ mit K. Dantz. f.

Leben und Thaten des Burggrafen und Grafen zu Dohna Fabiani des ältern/ mit deſſen Gebeten und Seufftzern. Elb. 1738. 8.

Schotti (Andr.) Pruſſia Chriſtiana, ſive de Introductione Religionis Chriſtianæ in Pruſſiam per Martyres tentata. Dant. 1738. 4.

— Tractatio juris publici de Indigenatu Polonorum, ex jure publico polonico deducta, ib. eod. 4.

Schultz (Ge. Pet.) Hiſtoria Interregni noviſſimi & Comitiorum in Pruſſia polonica anno 1733. celebratorum, una cum quamplurimis Msctis Actis ad Jus Publicum & Hiſtoriam Pruſſiæ pertinentibus, cum fig. Dant. 1738. 4.

Schultz (Ge. Pet.) Augusti II. Reg. Polon. æterna Memoria in Nummis, cum fig. 1733. f.

Böhmii (Mart.) Commentarius de Interregnis in Regno Poloniæ. Thorun. 8.

Jænichii (Pet.) Meletemata Thorunensia, seu Dissertationes varii argumenti ad Historiam maxime polonicam & prussicam, politicam, physicam, rem nummariam, ac literariam spectantes, III. Tomi, cum fig. Thorun. 8.

— Memoria Secularis, qua Natalem Urbis Thorunensis quingentesimum ann. 1731. ac nonnulla de Fatalibus Rerumpublicarum Periodis repetit. ib. 4.

Braunii (Dav.) de Scriptorum Poloniæ & Prussiæ typis impressorum æque ac Msctorum virtutibus & vitiis Judicium. Dant. 1739. 4.

— Ausführlich-Historischer Bericht vom Polnisch- und Preußischen Müntz-Wesen/ aus Urkunden/ Reichs- und Landes-Recessen/ auch Actis publicis zusammen getragen. Elb. 1722. 4.

Hoffmanni (Jo. Dan.) de Typographiis earumque initiis & incrementis in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ, cum variis observationibus rem & literariam & typographicam utriusque Gentis aliqua ex parte illustrantibus. Dant. 1740. 4.

Confessio Fidei, quam Status, Cives & Ecclesiæ in Polonia, Prussia & Lithuania inv. Conf. Aug. addictæ in Colloq. Charitat. Thorunii a. 1645. habito primum Serenissimi Regis Poloniarum Vladislai IV. Legato, Dn. Georgio Ossalinski, deinde ipsi Sereniss. Reg. Majest. tradiderunt, denuo recusa cura Sam. Güntheri. Dant. 1735. 4.

Nova Polonica ex Comitiis Grodnensibus de Legatis Pontificis Maximi & Regis Magnæ Britanniæ, nec non de Jure Patronatus, aliisque ad Historiam recentiorem Poloniæ spectantibus rebus. Colon. 1728. 4.

Vita Jacobi Henrici Zerneckii, Præconsulis Thoruniensis, Scriptis, Fatorumque fama nobilitati, exposita à M. Jo. Benj. Dragheim, accedunt duæ Amplissimi Viri Disputationes, altera Theologica, de statu infantium à Gentilibus progenitorum, cum in infantia dece-

decedunt, altera Juridica, de milite desertore. Dantisc. 1733. 4.

Corpus Constitutionum Prutenicarum, oder Königlich-Preußische Reichs-Ordnungen/ Edicta, Mandata, Rescripta &c. nebst Registern/ herausgegeben von D. Ge. Grube/ 3. Theile. Kön. 1721. f.

Jus Terrestre Nobilitatis Prussiæ correctum, adjectis passim Allegatis ex Herburto & Constitutionibus regni, it. Jura Fundamentalia Terrarum Prussiæ. Dant. 1733. 4.

Privilegium Civitatum minorum Prussiæ occidentalis Commentariolo illustratum, præmittitur de Civitatibus minoribus introductio historica. Dant. 1739. 4.

de Hauenstein (Jo. Heinr.) Repertorium juris Pruthenici, nimirum Municipalis, Culmensis emendati, correcti & revisi ut & juris Terrestris terrarum Prussiæ. Dant. 1730. 4.

— Lauda Statuum & Ordinum terrarum Prussiæ in Conventu Generali die 28. Aug. an. 1730. Graudenti congregatorum. ib. 4.

Beckers (Joh. Gottl.) gründlicher Unterricht von der Computatione Graduum und Successione ab intestato, nebst Dan. Gralaths Erbfolge nach dem Preußischen/ Lübischen/ Culmischen und dem Adelichen Land-Rechte. Dantz. 1728. 8.

Der See- und Handels-Stadt Dantzig Rechte oder Willkühr/ so in- und ausserhalb Gericht von allen und jeden zu beobachten. Dantzig 1732. 4.

— Neueste Wechsel- und Banqverouter-Ordnungen. ib. eod. 4.

Gründliche Erörterung/ wer die Belau und Kladau zu graben/ zu reinigen/ und deren Tämme zu unterhalten schuldig sey/ aus alten Urkunden/ denen gemeinen/ und dieser Lande (nehmlich Dantzig) besonderen Rechten vorgestellet/ mit Kupf. Dantz. 1733. 4.

Adelts (Martin.) Historia de Arianismo olim Smiglam infestante, oder Historische Nachricht von des ehemaligen Schmieglischen Arianismi Anfang und Ende/ nebst einer Kirchen-Historie der Stadt Schmiegel in Groß-Polen/ bis auf gegenwärtige Zeit. Dantz. 1741. 8.

Lauterbachs (Sam. Frid.) Ariano-Socinismus olim in Polonia, oder der ehemalige Polnische Arianische Socinismus. ib. 1725. 8.

Glau-

Glaubens-Bekenntniß derer der unveränderten Augsp. Confeßion zugethanen Stände und Gemeinen in Polen/ Preussen und Litthauen/ durch Sam. Günther von neuen edirt. Dantz. 1735. 4.

Leutingeri (Nic.) Opera Omnia historica, 2. Tomi. Frf. 1729. 4.

Hornii (Jo. Gottl.) Henricus illustris Princeps ex majoribus Sereniss. Domus Saxonicæ vindicatus, cum fig. ib. 1726. 4.

Janii (Jo. Gvil.) Antiquæ & pervulgatæ de IV. Monarchiis sententiæ contra recentiorum quorundam objectiones plenior & uberior assertio. ib. 1728. 8.

de Berger (Chr. Henr. Nob. Dom.) Commentatio de Personis vulgo Larvis seu Mascheris, von der Carnevals-Lust/ critico, historico, morali atque juridico modo diligenter conscripta, c. m. fig. ibid. 4.

Verpoortennii (Alb. Men.) Primitiæ Gedanenses. Dant. 1736. 4.

Hoheisel (C. Lud.) observationes philologico-exegeticæ, quibus nonnulla δυσνόητα Esaiæ loca ex indole lingvæ S. ex Accentuatione Ebræorum & Antiquitatibus illustrantur & exponuntur, aliorumq; Versiones & Interpretationes modeste examinantur, ib. 1729. 8.

Leyva (Hieron. Ven. Archiep. & Abb. Eccles. Metrop. Montis Reg.) Examen Episcoporum & eorum, qui approbandi sunt ad administranda Sacramenta, utile Examinatoribus, Judicibus Ecclesiasticis, Advocatis & Procuratoribus, omnes Decisiones Juris Canonici &c. Posn. f.

Luderi (P. Barth. S. J.) Epigrammata & Elogia divorum Societ. J. ac præcipuarum Familiarum in Polonia. Col. 1738. 8.

Grabowskiego (Mansw.) Illuminacye kaznodzieyskie, nieszpornemi kazaniami Odświętnemi. 1739. 4.

Robinson (Polnisch-Preußischer.) Dantz. 1736. 8.

Marqvardt (Conr. Theoph.) Elementa Astrognosiæ, methodo nova eaque scientifica ac naturali conscripta, cum figur. Regiom. 1734. 8.

Hanow (Mich. Christ.) Erläuterte Merckwürdigkeiten der Natur/ nach den Grund-Sätzen der neuesten Physicor. Dantz. 1737. 4.

Schön-

Schönwalds (Sam. Theod.) Aſtronomiſche und Geographiſche Abhandlung von Sonn- und Mond-Finſterniſſen/ m. K. 1739. 4.

Sendelii (Nath.) Electrologiæ per varia tentamina hiſtorica & phyſica continuandæ partes III. Elb. 1725-1728. 4.

Leutmanns (J. Ge.) Geometria repetita, oder kurtz gefaßte Grund-Lehren zu der Geometria, Trigonometria plana und Aereometria, nebſt einer Anweiſung zur Mechanica und Beſchreibung einer richtigen Probir-Waage/ mit K. Dantz. 1739. 8.

Lindeſtolpe (Jo.) Liber de Venenis. Frf. 1739. 8.

Vernünfftiger Momus/ der die Fehler der Menſchen auf eine ſatyriſche Art durchziehet. 8.

Schrœeri (Jo. Fr.) Imperium Babylonis & Nini ex monumentis antiquis. Frf. 1726. 8.

Schuberti (Jo. Ern.) Inſtitutiones Metaphyſicæ, methodo ſcientifica adornatæ. Lipſ. 1738. 8.

# CONSPECTUS.

§. 1. Vetuſtiſſimi Pruſſiæ Incolæ Venedi.
§. 2. Ut & Galindi, Sudini & Stavani.
§. 3. De eorum Republica.
§. 4. Teſtimonia Authorum de iisdem.
§. 5. Fuit ipſis Reſpublica Popularis.
§. 6. De Regibus Vendorum a Lazio recenſitis.
§. 7. In initio nullam plane Regiminis formam habuerunt.
§. 8. Poſt Venedos Pruſſiam occuparunt Æſtii ſ. Gothi.
§. 9. Qui in initio Reges habuerunt, poſtea autem Rempublicam popularem inſtaurarunt.
§. 10. Teſtimonium de eorum Republica.
§. 11. Æſtiis ſe conjunxerunt Poruſſi ſ. Boruſſi.
§. 12. Et hi rurſus cum Alanis.
§. 13. Regem ſibi eligerunt, & quidem Waydewuthum, Alanum quidam Senem.
§. 14. De filiis Waydewuthi.
§. 15. Eorum ſeries.
§. 16. Fabulas hæc eſſe, teſtimoniis comprobatur.
§. 17. Pruſſi Ariſtocratico-Popularem Rempublicam formarunt, & in Supanos & Plebejos dividebantur.
§. 18. De Supanorum horum Reliquiis.
§. 19. Romani ex Wallachia in Pruſſiam veniunt, cumque cæteris incolis ſeſe conjungunt.
§. 20. Pruſſos a Boleslao I. Pol. Rege victos eſſe, falſum eſt.
§. 21. Nec Quercum ſacram in Romove Boleslaus excuſſit.
§. 22. Nec Tributum Pruſſi Polonis pendiderunt.
§. 23. Pruſſi e contrario Maſoviam vaſtarunt, eamque ſibi ſubjecerunt.
§. 24. Nec Vladislaus Jagello 1410. poſt cladem Tannenbergenſem, Pruſſiam ſubegit.

§. 25. Sed partem modo occupavit.
§. 26. Quæ tamen semestri nondum elapso ad Ordinem rediit.
§. 27. Jus Imperii R. in Prussiam nullum.
§. 28. An Julius Cæsar in Prussiam venerit, eamque reddiderit tributariam.
§. 29. An Drusus Germanicus, aut Domitianus Cæsar.
§. 30. Fabula Hofmanni, de Thorando, Romano, Prussiæ Domitore
§. 31. Refutatur.
§. 32. Nec Otto III. Prussos imperio subjecit.
§. 33. Origo Juris Imperii in Prussiam.
§. 34. De donatione Cruciferis ab Friderico II. facta.
§. 35. Christianus Monachus cum Pontifice de Prussis colloquium instituit, & in primum Prussiæ Episcopum consecratur.
§. 36. Ac cum Conrado, Masoviæ Duce, Ensiferos Livonenses in auxilium vocat.
§. 37. Hi Pactis confectis Prussiam invadunt, sed cæsi Livoniam repetunt.
§. 38. Christianus Pontificem adit & auxilium contra Prussos petit.
§. 39. Warpoda & Svavabuno, Nobiles Prussi, Christiano terras suas donant.
§. 40. Crux contra Prussos prædicatur.
§. 41. Episcopus & Conradus Ordinem Teutonicum in auxilium contra Prussos vocant.
§. 42. Hi advenientes Pacta ineunt.
§. 43. Quibus confectis Magister eorum Hermannum de Balcke, Provincialem, cum copiis in Prussiam mittit.
§. 44. Hi novis adhuc cum Conrado & Episcopo sancitis Pactis, Prussos invadunt eosque vincunt.
§. 45. Forma Regiminis Ordinis in Prussia, absolutam Magister in Ordinem potestatem non habuit.
§. 46. Nec Ordo etiam in incolas, sed multis Prussorum immunitatibus limitatam.
§. 47. Statuum Prussiæ Auctoritas.
§. 48. Novum consilium Pruthenicum instituitur.
§. 49. Cruciferorum potestas in Prussos limitata non absoluta.
§. 50. Jus Imperii & Pontificis in Prussiam, ratione Cruciferorum nullum est.

§. 51. Prussi Cruciferis ob tyrannidem obedientiam renunciant, & ad Regni Polonici transeunt castra.
§. 52. Quia Reipublicæ institutio viribus majus videbatur opus.
§. 53. Casimirus IV. Pol. Rex Prussos in fidem recipit, salvis tamen Privilegiis.
§. 54. Errant, qui Prussiam Polonorum legibus vivere autumant.
§. 55. Prussi enim peculiarem formant Rempublicam, & cum Polonis præter Regem, nil commune habent.
§. 56. Quæ de his notanda veniant.
§. 57. Unio Prussiæ cum Polonia Jura Provinciæ non sustulit, sed potius roboravit.
§. 58. Casimirus Consilium Prussicum & Gubernatorem Provinciæ instituit.
§. 59. Johannes & Stiborius à Baysen, primi Prussiæ Gubernatores.
§. 60. His demortuis, Rex Ambrosium Pampowski Gubernatorem nominavit, sed renitentibus Prussis, Provinciæ Gubernacula ad Varmiæ Præsules pervenerunt.
§. 61. Sigillum Gubernatoris Prussiæ Civitati Elbingensi traditur. Ut & norma Regiminis a D. Casimiro instituta.
§. 62. Jus Indigenatus.
§. 63. Prussia a Vectigalibus libera.
§. 64. Comitia, & modus contribuendi Prussorum peculiares, ut & de Thesaurario eorum.
§. 65. Prussi Generali bellica expeditione non ligantur.
§. 66. Privilegia & immunitates Prussiæ civitatum.
§. 67. Leges Civiles Prussiæ peculiares.
§. 68. Quod circa Regimen Pruthenicum tempore interregni observandum.
§. 69. Unio Lublinensis Veterem Prussiæ statum mutavit,
§. 70. non vero evertit.
§. 71. Quid Unio Lublinensis effecerit.
§. 72. Nuntii ex Prussia, generali mandato, & ex generali Conventu ad Comitia Regni mittuntur.
§. 73. Nobilitas Prussica ad Tribunal Petricoviense provocat, Civitates non item.
§. 74. Epilogus.

Q. F. F. Q. S.

DE

# PRVSSIA
## NUNQVAM ET NULLI TRIBUTARIA.

§. 1.

Vetustissimi Prussiæ incolæ Venedi, eorumque sedes.

Antiquissima historiarum Monumenta indagantes, pristinos Prussiæ Nostræ Incolas VENEDOS fuisse, ubique cognoscimus. Hos illam Prussiæ partem, per totum Venedicum Sinum ab illis denominatum, h. e. hodiernum mare Balthicum, vulgo die Ost-See/ incoluisse, *Ptolomæus*, vetustissimus author, qui imperante Cæsare ANTONINO Philosopho vixit, testatur. a)

Ut & Galindi, Sudini, & Stavani.

§. 2. Alteram Prussiæ partem eo tempore tenuerunt GALINDI, SUDINI & STAVANI; teste eodem *Ptolomæo*, & ex illo *Hartknochio*. b) Origo eorum ex Scythia derivatur, e qua adscitis sibi Slavis egressi VANDALI, ad oram maris Balthici inter ostia Vistulæ ac Albis amnium consedere, ubi modo Pomeraniæ ac Mecklaburgensis, Prussiaq; ditiones extenduntur. c) Galindi, Sudini, Stavani iidem sunt populi, qui aliis cum *Ptolomæo*, l. c. sub FENNORUM ac PEUCINORUM nomine veniunt, ut ex moribus eorum a *Tacito* recensitis aperte patet.

De eorum Republica.

§. 3. De forma Regiminis apud Venedos, altum ubique historicorum est silentium, & historia eorum tantis tenebrarum obscuris nubibus convoluta jacet, ut nil fere sciamus, nisi quod Prussiam nostram aliquando & primi quidem incoluerint. De Fennis ac Peucinis, s. Galindis, Sudinis & Stavanis

a) Lib. 3. Geograph. p. 81. seqq. Edit. Græco-Lat. Sansonii.
b) In Dissertat. de Originibus Prussicis, Dusburgo annexa.
c) Wolffg. Lazius, de migrationibus Gentium, L. XI. p. 600.

nis autem, ut & Venedis eo tempore Masoviam jamjam & adjacentes Regiones incolentibus, *Tacitus* ita scribit: d) *Peucinorum, Vendorum & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosque sylvarum & montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos figunt, & scuta gestant, & pedum usu & pernicitate gaudent; quæ omnia diversa sunt Sarmatis in plaustro equoque viventibus.*

§. 4. Quoniam autem ex his *Taciti* verbis nihil adhuc de Republica eorum concludi potest; alios adhuc audiamus historicos. *Procopius* e) seculi VI. post C. N. author, de Antaris & Slavis (iidem sunt cum Galindis, Sudinis & Stavanis) ac reliquis veterum Vendorum Reliquiis: *Antarum Slavinorumque nationes*, inquit, *non ab homine aliquo uno reguntur, sed ab antiquo plebeja communique libertate vivunt, & idcirco res omnes, quæ vel inutiles sint, vel forte difficiles, in commune consilium deducuntur.* De iisdem *Dithmarus* Merspurgensis, f) qui seculo XI. vixit, perhibet h. v. *Illis Dominus specialiter non præsidet ullus, Unanimi consilio, adplacitum suimet, necessaria discutientes in rebus efficiendis omnes concordant.* Testimonia authorum de iisdem.

§. V. Si itaque Scriptoribus hisce fides (ut omnino) est, sequitur, nullius illos Imperium agnovisse, sed Rempublicam inter illos fuisse Popularem; h. e. quod urgente necessitate omnia, quæ discutienda fuerint, ad communem totius populi conventum & consilium deduxerint, quo unanimi consensu omnia removerentur. Quam Reipublicæ formam etiam nostro tempore Reliquias Vendorum partem Lusatiæ inhabitantes adhuc retinere vidimus, qui nullum plane inter se Dominum pati, moresque ac vestes nullo modo mutare volunt, nec Fuit ipsis Respublica popularis.



d) Tacitus, libr. de Moribus Germanorum, cap. 46.
e) Procopius, de bello Gothico, l. 3. cap. 7. pag. 542.
f) Dithmarus Mersp. l. 6. Histor. p. 136.

prohibente etiam Sereniſſima Aula Berolinenſi, ut terræ iſtius Domino, tam adritus, quam Religionem Majorum recte mutandam, nec promiſſionibus, nec vi cogi poſſunt, ſed clam parvam quaſi formant Rempublicam, juſtitiam ſibi invicem adminiſtrantes.

De Regibus Venedor. a Lazio recenſitis.

§. 6. Affert quidem *Wolffg. Lazius*, Hiſtoricus imperialis Viennenſis, Catalogum quendam Regum Venedorum ad Viſtulæ amnem; g) & recte quidem, ſed hoc ſaltem de iſtis temporibus dici poteſt, cum poſtmodum e Pruſſiæ oris migrantes, in magna illa temporum metamorphoſi interiora Germaniæ, Pannoniam, Hiſpaniam ac Africam denique petebant, easque ſibi regiones gladio ac flammis vaſtantes ſubjiciebant. Iis temporibus quidem Ducem (Heerführer) ſibi eligerant, ſed occupatis regionibus hoc Ducis munus ſtatim abolerunt, veterem Regiminis formam rurſus reſtaurantes.

In initio nullam plane regiminis formam habuerunt.

§. 7. Hæc ſunt, quæ defectu ſcriptorum de eorum Republica dici poſſunt, minime tamen credendum eſt, ab initio ſtatim inter illos talem politicam Regiminis formam extitiſſe, quin potius credibile eſt, eos in initio, more plurimorum gentium, nullam plane ſervaſſe regiminis formam, ſed quemcunque Herum ſupremum in bona, uxores, liberos ſervosque exercuiſſe dominium.

Poſt Venedos Pruſſiam occuparunt Æſtii, ſ. Gothi.

§. 8. Poſt Venedos Pruſſiam ÆSTII ac ÆLVEONES, alias etiam GÆTÆ ſ. GOTHI, quod Gothici eſſent originis & religionis, dicti occuparunt. Qui Ductoribus, Filimaro & Geberico, ex Scandia in Boruſſiam ad Viſtulæ amnem pervenere, h) ibidem conſedere, & expulſis Venedis, cum Galindis, Sudinis, Stavanis ſeſe conjunxere, ita ut in unum quaſi corpus redacti ſint, teſtibus: *Ænea Sylvio*, i) *Eraſmo Stella*, k) *Johanne*

*Magno*,

g) W. Lazius, de Migr. Gent. L. IX. p. 614.
h) Id. l. X. p. 554.
i) In Deſcript. Europæ, c. 29.
k) Lib. 1. & 2. Antiq. Boruſſ.

*Magno,* l) *Hugone Grotio,* m) *Joh. Loccenio,* n) *Vincentio Kadlubkone,* o) ut & *Plinio,* p) *Jornande alias Gordiano,* q) *Cassiodoro,* r) *Eginhardo,* s) *Cluverio* t) aliisque.

Qui in initio Reges habuerunt, postea autem Rempublicam popularem instaurarunt.

§. 9. Hos primum quidem, adventu in has terras, Reges suos vel potius Duces habuisse, non est quod dubitemus. Postea autem, extinctis his Regulis, Rempublicam inter se popularem more Galindorum instaurasse eos, constat, ea tamen differentia, ut quoddam quasi quorundam ex veteri Regum prosapia oriundorum Regulorum s. potius lingva Prussica, *Supanorum,* h. e. Nobilium, imperium minime tamen absolutum agnoscerint: Ut inter alios testatur *Erasmus Stella:* u) Sed & hanc regiminis formam paulo post apud illos cessisse, Annales testantur.

Testimonium de ipsorum Republica.

§. 10. Seculo enim post C. Nat. VI. Æstii s. Ælveones Prussici Delegatos quosdam ad THEODORICUM, Gothorum Regem tunc in Italia degentem, dona ipsi de succino ferentes miserunt. Apud *Cassiodorum,* l. c. etiam litteræ Theodorici Regis ad Æstios remissæ, quibus illis pro dono sibi dato succino gratias agit, leguntur, & hujus quidem tenoris: *Hæstis Theodoricus Rex. Illo & illo Legatis Vestris venientibus, grande Vos studium notitiæ Nostræ habuisse cognovimus, ut in Oceani littoribus constituti, cum Nostra mente jungamini, svavis Nobis & admodum grata petitio, ut ad Vos perveniret fama Nostra, ad quos nulla*

l) J. Magnus, in Histor. Sveo-Gothica, l. 1.
m) In Prolegom. ad Hist. Longobard. & Goth.
n) Joh. Loccenius, Antiquit. Sveo-Goth. l. 1. c. 1.
o) Kadlubko, l. 3. epist. 31.
p) Plin. l. 37. Hist. Natur.
q) In Historia Gothica, c. 23.
r) Lib. 5. Variar. Epistol. 2.
s) Eginhardus, in Vita Caroli M. cap. 12.
t) Cluverius, in Germania antiqua, l. 3. c. 44.
u) L. 1. Antiqu. Boruss. post medium.

*nulla potuimus destinare mandata. Ideo salutatione Vos affectuosa requirentes, indicamus, succina, quæ a Vobis per horum portitores dicta sunt, grato animo fuisse suscepta: quæ ad Vos Oceani unda descendens hanc levissimam substantiam, sicut & Vestrorum relatio continebat, exportat. Sed unde veniat, incognitum Vos habere dixerunt; quam ante omnes homines Patria Vestra offerente, suscepistis.* In his litteris Theodoricus non unam, non singulas personas, sed Hæstos s. Æstios in genere appellat. *Cassiodorus* quidem titulum hujus epistolæ, *Congratulationem ad quendam Sublimem, super susceptione transmissi muneris,* appellat; litteræ tamen ipsæ se non ad Sublimem quendam, vel Regem vel Regis uxorem aut viduam, sed ad totum Æstiorum populum scriptas esse, testantur.

Æstiis se conjunxerunt Porussi s. Borussi.

§. 11. Ultimo Regionem hanc Prussiæ, post Æstios, in magna illa gentium migratione, qua & Æstii alia sibi quæsivere Regna, intravere PORUSCI s. BORUSCI, a Russico verbo *Pod*, h. e. lat. *sub*, quasi *Sub-Ruteni* nominati, qui teste *Erasmo Stella* ex *Ptolomæo* w) ad Riphæos montes, ubi in Septentrionem fusius excurrunt, nec longe, qua Tanais ex eis erumpit, sedes habuere, qua infelicitate sua conciti, (perpetuis namque nivibus algoribusque illic terra riget, ad omneque naturæ ministerium damnata est,) ad novas sedes capessendas patriam egressi, in hæc loca elapsi sunt, quæ tum soli fertilitate, tum pascuorum lacuumque amœnitate ipsis quam primum placuere, nec ultra progressi sunt, hic sedes unanimi consilio sibi desumentes. Quod volunt nostrates scriptores, circa annum R. S. C. 523. vel 550 accidisse. Occupatis Æstiorum relictis sedibus, Porussi hi cum cæteris Æstiorum, Ælveonumque Reliquiis, nec non Galindis, Sudinis, Stavanis, Sembis ac Scalavoniis sese conjunxerunt, & in unum quasi corpus coaluerunt.

§. 12.

w) Idem ibidem l. 1.

§. 12. Contigit interea, ut ALANI Poruſcis contermini contra Imperium Romanum arma ſumerent, ac poſt diuturnas in Imperii fines excurſiones a SICAMBRIS comprimerentur, (quo bello Sicambri ſibi & poſteris libertatem pepererunt.) Alani, qui cædi ſupererant, pars per Imperii terminos dilapſa Hiſpanias usque pervenit cum Gothisque illic belligerantibus ſe junxit, pars vero imbecillior, quæ domi remanſerat ac cæde patrata patriam repedaverat, exuta præcipue juventutis manu, ſibi non ſatis in ſedibus propriis fidens, cum uxoribus & filiis omnique ſervitiorum multitudine ad Poruſſios conterminos ſeceſſit, ſupellectilem tum omnem ſecum in carris ac plauſtris trahens, tum etiam pecora, quorum proventu hæc Gens plurimum victitabat, univerſa ac ſeſe Poruſſiorum fidei & tutelæ commiſerat. *Et hi rurſus cum Alanis.*

§. 13. Nec ipſi a Boruſſiis repulſi, quod eorum multitudine adaucti, facilius quibusvis populis reſiſtere poſſe crederent. Conceſſerunt itaque Alanis cohabitandi Jus, qui rurſus Poruſſiis mulierum ſuarum coitus permiſere; connubia enim nulla habuere, ſed ut quisque in mulierem incidit, ea ad venerem uti licebat, qua re brevi tempore in eam multitudinem coaluere, ut quocunque contingentes populos ſuperarent. Ex ea tandem multitudine cœperunt inter ſe anguſtia finium premi, utcunque enim placuerat, ac commodum quisque ratus, tantum terræ ſibi equisque deſumpſerat, unde rixis variis inter ſe diſſipare cœperant, quæ plerumque cædibus tranſigebantur. Id populum hunc agreſtem inter ſe diſcordem in eo concordem fecit, ut de Rege ſibi conſtituendo conventus agere cœperint, ubi pro ruditate populi varia undiquaque ea de re dicta agitataque ſunt. Tandem WAYDEWUTHUS, Alanus quidam Senex, qui cæteris & dignitate & vigore animi præſtabat, (magna enim ſervitiorum claſſe abundabat, unde etiam ſibi in alienis terris authoritatem non modicam acqui- *Regem ſibi eligunt, & quidem Waydewuthum Alanum quendam ſenem.*

 ſiverat)

ſiverat,) eos exhortatus fuit: *Ut exemplo apium, quos Regem habere viderent, Regem ſibi etiam eligerent, qui rixas inter illos dirimat, cædes ulciſcatur, furta puniat, innocentiamque tueatur.* Hi ita non morantes, cuncti dictis ejus ingenti ſublato clamore aſſenſere, illumque, ut *Bojoteras* eorum (h. e. Rex) eſſe velit, rogavere. Et is nec vocem aſpernatus, omnium ore Rex ſalutatus eſt. x)

De Filiis Waydewuthi.

§. 14. Accepta regia dignitate Rex WAYDEWUTHUS & Frater ejus PRUTENUS ad vivum regni faſces tenuerunt, populoque leges & ſtatuta præſcripſerunt ac quiete regnarunt. Demortuis autem his duobus Fratribus, Pruſſia quidem inter Filios WAYDEWUTHI dividebatur, ſed jam reſtrictior tunc fuit horum Ducum atque Principum poteſtas, cum Optimatibus nempe & ipſo populo communicata. Et tandem cum tempore Familiæ hæ Ducum atque Principum in Pruſſia multiplicatæ, ditionum diviſione dignitatem & potentiam ita tenuiorem reddebant, ut non diu poſthac priſtinus ſplendor & Imperium Regium plane exoleſcerent.

Eorum Series.

§. 15. Sunt quidam & plurimi quidem recentiorum ante *Hartknochium* Scriptorum, qui duodecim WAYDEWUTHO filios fuiſſe dicunt, a quibus ditiones & diſtrictus Pruſſiæ nomina traxiſſe feruntur; ut *a Saymo ſ. Sambo Sambia, & ab ejus uxore Prægolla fluvius Pregell: ab Nadrone Nadrovia: ab Sudone Sudavia ſ. Sudinia: ab Schalavone Schalavonia: a Natangone Natangia: a Bartone Bartonia: a Galindo Galindia: a Warmone Warmia, vel ab ejus uxore Ermia Ermelandia: ab Hoggone Hockerlandia, vel ab ejus ſorore Poggia Pogeſania: a Pomeſone Pomeſania: a Culmone Culma ſ. Culmigeria: & a Lithuone Lithuania.*

Fabulas hæc eſſe, teſtimoniis comprobatur.

§. 16. Sed hæc omnia meras eſſe fabulas, unusquisque paulululum modo priora inſpiciens facile perſpiciet. Nequaquam

x) Hartknoch, im Alt- und Neuen Preussen, Part. 1. cap. 15. pag. 235. 236. ſeqq.

quam quidem negari poteſt, WAYDEWUTHUM olim in Boruſſia Regem extitiſſe, in quo & omnes Pruſſiæ Hiſtorici, *Hartknochio* excepto y) conſentiunt, ſed quæ de Numero filiorum ejus narrantur, procul dubio fictitia ſunt. Galindos enim, Sudinos, Schalavonos & Sembos, aliosque jam ante WAYDEWUTHI adventum has terras incoluiſſe, ſupra jam dictum eſt. Et idcirco Appellationes Provinciarum Pruthenicarum non tam a WAYDEWUTHI filiis, ſed potius ab gentibus ipſis originem traxiſſe credo. In quibus præter alias Nobl. Dn. *Friderici Zamehlii*, Conſ. Elb. & Com. Palat. Cæſ. ſententia placet, idem annuens ſequentibus: z)

*Quid porro exclamem? quot ſint in origine Nugæ?*
*Quo totidem fratres a Waydewutho ſati?*
*Ille quidem fuerit, Numerum tamen edo minorem,*
*Nomina poſt populos, quis putet eſſe ſatos?*
*Sudinæ Gentes, & Res Galinda vigebat,*
*Cum nondum Scythicus, legit electra puer.*

Quod vero *Hartknochius* ex WAYDEWUTHI & PRUTENI, appellativorum in Prutenica lingva vocabulorum, prudentiæ ſcilicet & ſcientiæ ſignificatione, ſuſpecta & ideo fabuloſa eſſe nomina, arguit, hoc quidem audacter nimis facit. Atqui priſcis ſeculis, ab ipſis Patriarcharum temporibus, mox invaluerat, a Virtutibus ſuis fere principibus, vel aliis quoque liberis recenter natis, nomina imponere. Quod porro ſcriptores illi neque in tempore iſtorum Regum, neque in numero filiorum WAYDEWUTHI, aliisque circumſtantiis congruant, hoc eo magis probat, illos non cœca fide alios exſcripſiſſe, ſed e diverſis monumentis aut traditionibus hiſtoriam hauſiſſe.



y) Hartknoch, in Diſſ. de Originibus Pruſſicis, Düsburgo annexa.
z) Fr. Zamehlii, Monumentum Familiæ, quod cum cæteris operibus, Elbingæ 4to, prodiit.

Prussi Aristocratico-Popularem Rempublicam formarunt, & in Supanos & Plebejos dividebantur.

§. 17. WAYDEWUTHO itaque, PRUTENO ac WAYDEWUTHI prosapia extincta, *Aristocratico-Popularis* in Prussia extitit Regiminis forma; Monarchica plane aboleta, ita ut nullum postea inter se Dominum absolutum pati voluerint, teste *Helmoldo*, a) ut & *Adamo Bremensi*, b) qui, *Homines*, inquit, *cærulei facie rubra, & criniti, præterea inaccessi paludibus, nullum inter se Dominum pati volunt.* Hæ undecim enim Prussiæ partes s. Provinciæ undecim etiam parvas formarunt Respublicas, ita ut hæ partes nullam aliam habuerint communionem, quam Deorum Cultum, qui in medio Regionis in urbe RYCKOJOT s. ROMOVE, in Natangia, ubi postea Monasterium S. S. TRINITATIS fuit, nunc vero pagus Lib. Bar. a KITTLITZ, Groß-Waldau/ conspicitur, c) sub quercu stupendæ magnitudinis ac hyeme æstateque æque viridi, servabatur. Postea etiam in unaquaque parte præcipui Nobiles ac Principes erant, quos privilegium Bartensteinense a Cruciferis anno 1332 concessum Reges, *Hartknoch* d) vero Regulos, & rectius appellat. Distingvendum enim inter Reges absolutos, Monarchas, & Regulos s. Nobiles, qui lingva prussica *Supani*, a Slavico verbo *Span* nominabantur, & separatim terras suas regnabant. Belli autem tempore *Supani* hi ex omnibus undecim partibus, convocato ac consulato populo, vires suas conjunxere hostemque toto exercitu debellavere.

De Supanorum horum Reliquiis.

§. 18. Et adhuc Ordinis Teutonici adventu hi *Supani* per totam Prussiam dispersi habitabant. Horum ex numero etiam fuit HAGELL, qui in monte aliquo (ab illo Hagels-Berg dicto) non procul Gedano sedem suam habuit; e) ut & GELLENS,

a) Helmoldus, l. 1. Chron. Slav.
b) Adam. Bremensis, in lib. de Situ Daniæ.
c) Das erläuterte Preussen/ Tom. 3. pag. 284.
d) Hartknoch, im Alt- und Neuen Preussen/ Part. 1. cap. 15.
e) Casp. Schütz, Preußische Chronick/ l. 1. p. 6.

LENS, cujus domicilium Cruciferi a fundamentis proruerunt, ex eoque Urbem *Gilgenburgum* ædificarunt. Præsertim autem Sudavia Principibus hisce f. Nobilibus abundavit; f) Ut sunt: SCUMANDUS, WAYDOLE, CANDIGANDAM, SCURDO aliique; In Pomesania e. g. PERWAN, de quo Gens Nobiliss. PERBANDORUM originem trahit; RECKIS; ut & SAMILE f. CZAMILE & CZAMEHL, de quo Nobiliss. Dom. ZAMEHLII *Augustæ Ælveonum* nomen & genus ducunt, qui in pago, hodie Pronen dicto, bona ac sedem habuit. g) Nobilibus proximi erant Cives & Plebeji in civitatibus, oppidis & pagis, quos Nobilitate etiam (hostibus repulsis) donatos fuisse, *Dusburgus* h) aliique testantur. Comprehensus aliquis in furto pro prima vice virgis cæsus est, pro secunda fustibus, tertio canibus dilacerandus objiciebatur. Homicidam sine misericordia necabant.

§. 19. Hæc Prussiæ nostræ præcipui incolæ; hæc eorum Regiminis forma. Hæc saltem adhuc cum *Hartknochio* credens addo: i) Romanos ex Wallachia egressos *Lithuaniamque* occupantes, partem etiam Prussiæ nostræ quamvis non magna manu intrasse, cum cœterisque incolis sese conjunxisse, quod partim ex quibusdam lingvæ Prussicæ (latinæ nimirum originis) vocabulis, partim etiam ex ritibus, usu nimirum Balneorum quotidiano, funeribus, exustione mortuorum cadaverum aliisque; & præcipue ex nomine Prussorum Metropolis ROMOVE f. Romnova, ubi & CRIVE-KYRWAYTO f. *Pontifex* eorum habitabat, constat. Romanos enim in *Wallachiam* seu *Daciam*,

Romani ex Wallachia Prussiam intrant, & cum cœteris incolis se conjungunt.



f) Hartknoch, Alt- und Neues Preussen/ l. 2. c. 4. p. 543.
g) Vid. Fr. Zamehlii Monument. Familiæ, 4to. Plura autem de Veterum Prussorum Supanis eorumque nominibus, T. I. des Erläut. Preussen/ p. 269. sequ. legi possunt.
h) Dusburg, Chron. Pruss. p. 3. c. 4.
i) Hartknoch, Alt und Neu Preussen/ P. 1. c. 3. p. 74.

*Daciam*, tempore TRAJANI *Imperatoris*, Colonias misisse, *Eutropius* testatur; k) e qua deinde ob multitudinem, & cæsi a Slavis, egressi, Lithuaniam Prussiæque partem occuparunt, l) & in memoriam patriæ urbis ROMÆ urbem ROMOVE seu Romnovam duplicem in Lithuania æque ac Borussia ædificarunt, m) teste *Alberto Wijuk Kojalowitzio*. De Romnova prussica *Petrus de Dusburg*: n) *Fuit in medio*, inquit, *Nationis hujus perversæ, scilicet in Nadrovia, locus quidam dictus Romaw, trahens nomen suum a Roma, in quo habitabat quidam, dictus Crive, quem colebant pro Papa.* Item *Auctor Chronici Ordinis*, vulgo **der Ordens-Chronicke**/ *in vita Hermanni a Saltza*, fol. 28. his verbis: **Auch hatten sie in diesen Landen heidnische Pfaffen und einen sonderlichen Papst/ welchen sie für heilig hielten/ nach ihrer heidnischen Weise. Derselbe Papst hatte allezeit seine Wohnung auf Sammland und Nadrauen/ in einem Dorf Romaw/ nach Rom genannt.** De Romnova vero Lithuanica hæc apud Dusburgum l. c. p. 254. leguntur: *Fr. Ludovicus de Libenzelle navale bellum multiplex habuit, unum versus Anstechiam, terram Regis Lethovinorum, in qua villam dictam Romaw, quæ secundum ritus eorum sacra fuit, exussit.*

Prussos a Boleslao I. Pol. Rege, victos esse, falsum est.

§. 20. Poloniæ hic scriptores plurimi & fere omnes, Prussos hos veteres a BOLESLAO I. CHROBRY, Poloniæ Rege ac Successoribus ejus debellatos, subjectos ac tributum pendere coactos fuisse, asserunt. Sed caret hoc assertum probationibus, nunquam enim Reges Poloniæ in actis suis & pactis cum Cruciferis aliisque quicquid dominii in Prussiam prætendere, nec Hæreditarii Prussiæ titulo uti fuerunt ausi; donec tandem A. 1454. Status ac Ordines Prussiæ a Cruciferis defecere, Polonis-

k) Lib. 8. in Adriano.
l) Curæus in Annal. Silesiæ, p. 36.
m) Kojalowitz, P. I. c. I. p. 21. Hist. Litthuan. ut & l. 2. p. 31.
n) Dusburg. p. 3. c. 5.

lonisque se junxere, tunc demum CASIMIRUS IV. ac Successores in Regno Poloniæ se hæreditarios ac natales Prussiæ universæ Dominos appellare cœpere. Et licet fortia BOLESLAI I. Regis meruerint facta, ut titulo sepulcri in Ecclesia posnaniensi, inter devictos ab eo populos Prussi quoque scriberentur, referentibus *Starovolscio*, o) & *Lubienskio*. p)

*Tu possedisti, velut Athleta Christi,*
*Regnum Slavorum*, (i. e. Russorum) *Gothorum* (i. e. Prussorum) *& Polonorum.*

Ubi Gothorum nomine Prussos intellexerunt, de quibus supra jam diximus. Nihilominus tamen neque BOLESLAUS iste totam unquam adiit Prussiam, & non nisi vicinos Poloniæ Borussos cladibus affectos donec vixit, metu magis, quam imperio continuit; quo mox ab obitu ejus soluti Borussi arma in Poloniam resumpserunt. Illud quoque, quod *Dlugossus* q) ac *Sarnitius* r) de columnis ferreis in limitaneo Regni fluvio pruthenico Ossa a Boleslao I. positis narrant, evidenter probat, ultra Culmensem terram regem istum sibi nihil de Borussia arrogasse, cum Borussiæ provinciæ cæteræ Polonis ultra Ossam sitæ sint.

§. 21. BOLESLAUM I. item in medium usque Borussiæ penetrasse, quercumque in ROMOVE sacram exussisse, quod quidam Poloniæ scriptorum & *Hennenberger* s) asserunt, fabula est. Hanc enim quercum adhuc Ordinis Teutonici tempore immutatam floruisse, a Borussisque quamvis clam & cum timore adoratam fuisse, annales testantur. *Thomas Tretterus* t) eam, jussu JOHANNIS I. Episcopi Warmiensis, & Magistri Ordi-

Nec quercum Prussis sacram in Romowe exussit Boleslaus.

o) Starovolski, Monumenta Sarmatarum, p. 447.
p) Lubienski, Vitæ Episcop. Plocensium, p. 315.
q) Dlugossus, l. 2. Hist. Pol.
r) Sarnitii, Annales Polon. l. 5. cap. 5.
s) Hennenberger, Beschr. von Preussen und der Hochmeister/ f. 12.
t) Thom. Tretterus, in Vita Johannis, I. Episc. Warmiens.

Ordinis, WINRICI a Kniprode, ab Ordinis Mareſchalco Supremo HENRICO SCHINDEKOPF exciſſum eſſe, ex Archivi Warmienſis Annalibus evidenter probat.

NecTributum Pruſſi Polonis pendiderunt.

§. 22. Tributum autem quod attinet, nullus Poloniæ ſcriptorum, Boruſſos vere tributum unquam pendidiſſe, aut tributi ſummam fide demonſtrat, vel demonſtrare poteſt. Si Boruſſi Polonis tributum pendidiſſent, ac tota Polonorum jugo Boruſſia ſubjecta fuiſſet, certe BOLESLAUS corpus *S. Adalberti Martyris*, Boruſſorum Apoſtoli, quem Boruſſi Diis ſuis gentilibus nimium addicti, prope oppidum *Fiſchhauſen* trucidarant, & ad cujus necem ulciſcendum Rex bellum ſuſceperat, vi abſtuliſſet, nec tanta pecuniæ ſumma, ut litteris proditur, & quantum ipſum Adalberti corpus librabat, ſolviſſet. Et quanquam poſtea Boruſſi a BOLESLAO II. *Audace*, & BOLESLAO III. *Krzywovſto*, vix aliquot cladibus recuſi ac quandoq; etiam victi cernerentur, tandem Polonos ſub MIECISLAO III. & Fratre BOLESLAO IV. *Criſpo*, exercitibus eorum, in loca uliginoſa aſtu pertractis, tanta clade affecerunt, ut Ducibus & plurima exercitus parte extincta, reliqui miſere in patriam revenerint, in qua etiam acie HENRICUS, Dux Sendomirienſis, *Criſpi* Frater, & Boleslai III. filius, fortiter pugnans occubuit, quod & præter Boruſſiæ Poloniæ affirmant ſcriptores ipſi. u)

Pruſſi e contrario Maſoviam vaſtarunt, eamque ſibi ſubjecerunt

§. 23. His peractis cum fortuna crevit & animus Boruſſorum, ita ut non ſolum contra omnes vicinorum Polonorum aliorumque incurſiones tuti eſſent, ſed illorum etiam Regionem adire, invadere, eosque debellatos ſibi ſubjicere poſſent. Maſoviam enim ferro & flammis ita longe lateque vaſtabant, ut exercitibus Maſoviorum ad internecionem usque deletis, & Duce eorum capto tributoque ipſis impoſito, Maſoviam ſibi, ſola *Plocenſi* arce excepta, ſubjecerint. w) Ne autem ultimum ma-

u) Kadlubko, l. 3. ep. 31. p. 374 it. Neugeb. Hiſt Pol. l. 3. p. 107. aliiq;.
w) Poln. Bibliot. P. 4. p. 307. conf. Daubmans Preuß. Chron. P. 2. c. 2.

malum priori pejus eveniret, ac Masovii auctis viribus Borussorum jugum excuterent, paulatim etiam non solum munitiones & propugnacula struere, armaque sibi a vicinis Germaniæ populis comparare; sed delectam etiam Juventutis suæ manum in varia re militari diligenter exercere cœperunt. x) Quo & evenit, ut cum posthæc Ordo Teutonicus contra Borussos hos militaret, illi quinquaginta tribus annis vix vici potuerint. y)

§. 24. Nec altera Polonorum objectio, Borussiam a. 1410. post cladem Tannenbergensem a VLADISLAO *Jagellone*, Pol. Rege domitam Regnoque subjectam fuisse, locum habere potest. Negari quidem nequit, Cruciferis a. 1410. ad Tannenbergam sub Magistro ULRICO de Jungingen immani clade succumbentibus, maximam Borussiæ partem panico terrore perculsam Victoris VLADISLAI *Jagellonis*, Regis, gratiam per Deputatos suos quæsivisse, multas etiam arces ac oppida primo terrore Polonis a Civibus & ipsis Cruciferis præsidiariis dedita fuisse. Nihilominus interioris Borussiæ castra & oppida nullum præsidium polonicum accepisse, & descendentibus ab obsidione Mariæburgensi Polonis uno semestri spatio, omnia fere castra dedita aut ultro ad Cruciferos rediisse, aut vi expugnata ipsoque *Thorunio* & *Elbinga* præsidia Polonorum exacta fuisse, annales loquuntur.

Nec Vladislaus Jagello 1410 post cladem Tannenb. Prussiam subegit.

§. 25. *Dlugossus* quidem z) anno 1410. universas terrarum *Prussiæ*, *Pomerelliæ*, *Michaloviensis* & *Culmensis* civitates, oppida atque castra in potentiam Regis VLADISLAI, *inquit*, dedicata fuisse, præter castra *Marienburg*, *Radzin*, *Gdansk*, *Swiece*, *Czlochau*, *Brandenburg*, *Balga*, *Ragnit* & *Memel*. Et propterea ibi omnes enarrat præfectos polonos, quibus Rex civitates, oppida & castra, etiam *Regiomontum* & *Gedanum*, regenda contulit.

Sed partem modo occupavit.

 Sed

x) Dusburg, Chron. Pruss. p. 2. c. 3.
y) Idem, part. 3. cap. 3.
z) Dlugoss. Hist. Polon. l. 11.

Sed *Dlugoſſus* in eo genti ſuæ placere voluit, aut memoria Diariorum lapſus fuit. Namque *Joh. Lindenblat*, Officialis Rieſenburgenſis, vel ut alii volunt, Epiſcopus pomeſanienſis, qui tunc vixit, in Chron. ſuo MSCto. a) ad ann. 1410. poſtquam ſatis ineptum terrorem civium & præſidiariorum in civitatibus, oppidis atque arcibus, adeoque ipſorummet fratrum Ordinis Cruciferorum perſtrinxiſſet, quod audita clade ſuorum certatim Regi VLADISLAO ſeſe dederint, in his quatuor Epiſcopi Boruſſiæ, quos propter ſimul cum cæteris dedititiis inſano metu fœdifragos domino ſuo, nempe Ordini, factos increpat, tamen *Regiomontum* & *Gedanum* æque ſicut *Mariæburgum* & alia caſtra ſupra dicta non fuiſſe dedita, ſed præſidiis Cruciferorum conſtanter occupata caſtra & civitates aſſerit. *Hennenberger* autem caſtra quædam, & in illis *Gedanenſe*, ita ſubjectionem Regi promiſiſſe, ſi ſedem Ordinis *Mariæburgum* occupaverit, ex Chronicis refert, cui *Dlugoſſus* d. l. p. 278. palmam premit. Quod cum Rex poſt longam obſidionem inglorius dereliquiſſet, & illa caſtra fide data liberata, cætera eodem ſemeſtri aut ultro vi a Cruciferis recepta fuiſſent.

Quæ tamen ſemeſtri non dum elapſo ad ordinem rediit.

§. 26. Inanis vero *Dlugoſſi* gloria eſt, quod ex Polonis proceribus etiam *Regiomonto* Ducem ALEXANDRUM Lithuanum; *Gedano* TULISKOVIUM, Caſtellanum Caliſſienſem a rege præfectos fuiſſe, jactet, qui mox ſequenti pagina ob plus habendi cupiditatem, Polonos transverſos actos, VLADISLAUM Regem ſpe majoris quæſtus, magnæ felicitatis caligine cœcum & victoriæ inſolentia tumidum; pacem petenti Magiſtro HENRICO REUS a PLAUEN reſpondiſſe, rectius arguit. Quæ divina & humana lege ſua & Regni Poloniæ ſemper conſtitit & conſtat fuiſſe; (nempe Boruſſiæ & Pomerelliæ provincias) juſta deditione ad eum recediſſe. Nunquam autem antea conſtitit, Boruſſiam ad Poloniam a condito mundo per-

a) Teſte B. Magnif. Dn. Braunio, Conſil. Pruſſ. in MSCtis.

pertinuiſſe; & hæc poſt infelicem pugnam facta deditio interiora *Natangiæ*, *Sambiæ*, *Nadraviæ* & *Schalavoniæ* provincias plane intactas reliquit, cætera Boruſſiæ *Mariæburgum* verſus tantum usque ad liberatam ſedem illam Cruciferorum duravit.

§. 27. Pertinet huc etiam Controverſia illa, Boruſſiam nempe antiquis temporibus Imperio Romano-Germanico fuiſſe ſubjectam. In Diplomate enim FRIDERICI II. Imperat. Cruciferis ſuper terras Boruſſiæ conceſſo expreſſis legitur verbis: *quod Terra ipſa* (nempe Boruſſia) *ſub Monarchia Imperii fuerit contenta*, h. e. Boruſſiam antiquitus ſub jurisdictione, in fide & clientela Romanorum Imperatorum fuiſſe. Quod & *Wurffbain* ſomniat, b) CONRADUM nempe, tunc temporis Maſoviæ Ducem ab Imperatore FRIDERICO II. auxilia contra Boruſſos petiiſſe illaque etiam ab eo impetraſſe, ita tamen, ut Ordinis Teutonici Magiſter auxilia hæc CONRADO adduxerit. Quamobrem Supremum hunc Ordinis Magiſtrum ab Imperatore etiam has Boruſſiæ Terras, *veluti vetus & indubitatum Imperii Jus*, in feudum accepiſſe, Romanorumque Imperatorem tanquam feudi Dominum agnoviſſe, aſſerit. Sed nullius plane momenti ſunt hæ objectiones; paululum enim Diplomata modo vetera c) & transactiones inter CONRADUM Ducem & Cruciferos inſpicientes, nullibi Ducem hunc Maſoviæ ab Imperatore FRIDERICO II. ſed potius ab Ordine Cruciferorum ipſo auxilia petiiſſe inveniemus.

Jus Imperii R. in Pruſſiam nullum.

§. 28. Quo modo autem Boruſſia & quando ſub Romanorum poteſtatem ac in eorum fidem & clientelam pervenerit, nullus plane ſcriptorum nec extraneorum, nec domeſticorum adhuc rite demonſtrare potuit. Non quidem deſunt, qui Boruſſiam a primo Romanorum Imperatore & Monarcha, JULIO CÆ-

An Julius Cæſar in Boruſſiam venerit, eamq; reddiderit tributariam.



b) Wurffbain, Relationes hiſtoricæ, p. 6.

c) Hæc Diplomata Vetera & Transactiones in Actis Boruſſ. T. I. II. III. ſparſim legi poſſunt.

CÆSARE, victam domitamque fuisse dicunt, sed perperam: JULIUS enim CÆSAR nunquam ad usque Borussiæ oras pervenit, multo minus Borussos domuit Imperioque Romano subjecit, ut ex Commentario *de Rebus suis gestis*, ab ipso conscripto aperte patet. JULINUM enim in ostiis *Viadri*, antiquis temporibus urbs celeberrima, nunc vero adeo vastata, ut nec locus, ubi steterit, nec rudera ejus visantur, terminus expeditionis fuit CÆSARIS, ubi & statua ejus conspiciebatur.

An Drusus Germanicus aut Domitianus Cæsar.

§. 29. Nec majoris fidei illorum est commentum, qui DRUSUM GERMANICUM, Romanorum Exercituum Ducem, magna classe in Borussiam venisse, illamque sibi totam tributo imperato subjecisse perhibent. Quorum sententiam inter alios etiam secutus est *Erasmus Stella*, d) qui & DOMITIANUM CÆSAREM in expeditione, quam contra Sarmatas, quod legionem cum legato necarant, instituit, Borussiam armis vicisse tributumque eis de succino imposuisse, asserit. Sed nec DRUSUS *Germanicus*, (vel ut alii apud Tacitum e) legunt DRUSUS & GERMANICUS) nec DOMITIANUS *Cæsar*, unquam Borussiam nostram armis suis attigerunt, multo minus vicerunt. Omnia enim, quæ hac de re a DRUSO *Germanico* narrantur, meras sapiunt fabulas, nec nisi errores veterum scriptorum arguunt, qui in *Plinio*, f) DRUSUM *Germanicum* classe quadam Insulam maris Septentrionalis quandam, *Glessariam* appellatam, (quam *Erasmus Stella* l. c. falsissime Borussiam esse autumat) occupasse eamque Imperio R. subjecisse, legerunt. Optime hanc *Stellæ* sententiam rejecit FRIDERICUS *Lib. Bar.* de DANCKELMANN, g) minime Borussiam unquam

d) Stella Antiquit. Boruss. ante medium.
e) Tacitus, in Annal. Histor. & Vita Agricolæ passim.
f) Plin. l. 37. c. 3.
g) Vid. Friderici, Lib. Bar. de Danckelmann, Dissertat. de Rebus atque Incrementis Pruss. 1708. Lugd. Bat. habitam, p. 13. f.

quam Glessariam appellatam fuisse, sed hanc eam esse insulam, quæ hodie DE STRAND vocatur, ex Cluverio h) aliisque annuens. DOMITIANUM quod attinet *Cæsarem*, nunquam hic Borussiam usque pervenit, sed *debellatos* modo *Sarmatas* vicit, nec totam etiam subegit Sarmatiam, sed fines modo eorum ingressus, in viscera Sarmatiæ nunquam penetravit. i)

§. 30. Præter hæc aliam adhuc expeditionem Romanam contra Borussos enarrat *Abr. Hofmannus*, Lausannensis, Historicus Imperialis Viennensis, in *Historia de Origine: Initio & Antiquitate egregii ac præclari ethnici templi, quod fortis Heros & Nobilis Romanus Thorandus, post reportatam victoriam, ac devictis quibusdam populis Barbaris, in præclaram & primariam urbem Thorun, s. Thorunium, in Prussia, anno 725. exstrui & exornari fecit.* k) Quam historiam sequentibus *Hofmannus* exponit: *Fortis Exercituum Dux & Nobilis Romanus Thorandus, ut Magnanimus Heros, devictis magna vi bellica, Borussis, ac spe fretus, Romano eos subjicere Imperio, castra sua in introitu terræ istius metatus est, ac legatione cum reportatis victoriis Romam missa, statim prope arcem suam principalem, in urbe Thorunio, in honorem, & gratitudinis ergo, Idolo suo Veneri, quam Barthemiam appellabat, permagnificum exstruxit templum, quod & per 500 annos intactum remansit, in quo omnia aurata, adamantibusque exornata nitescebant,* Fabula Hofmanni de Thorando Romano, Borussiæ Domitore.

 &

h) Cluverius, in Germania Antiqua, l. 3. cap. 23.

i) Vid. Viri Cl. G. Wendii Dissert. duæ, de IV. Imper. Romanor. Nummis in memoriam Victoriæ, olim de Sarmatis reportatæ, cusis, T. I. Meletematum Thorunensium, a Petr. Jænichio, Rectore Gymn. Thorun. p. 9. seqq. annexæ, ubi & Nummi delineati cernuntur. it. Dissertat. de origine gentis Borussicæ, Francof. ad Viadr. 1708. impressa, & T. I. Actor. Boruss. p. 637. adjecta.

k) Hanc Historiam, 1616. Budissæ impressam, Author Magistratui Thorunensi dedicavit, & pro vera obtrudit. Vid. Hartknoch, Alt und Neu Preussen/ P. 2. cap. 3. p. 368.

*& in quo etiam Idolo huic Veneri, multum quotidie honoris servabatur. Idolum hoc speciem virginis præbuit, amœna oculorum serenitate, niveo corpore, ac fluenter per genua usque undantibus capillis, capite corona ornato myrrhena, ac rubris ubicunque rosis incincta, os illius ridibundum rosa obserata; cor autem igneis facibus, vel potius radiis condecoratum erat, ita tamen, ut per apertum latus, cor in corpore conspici posset. Sinistra manu, in forma globuli, mundum in cœlum, aquam & terram divisum; dextera autem tria alia poma comprehendebat aurea. Vehebatur in curru aureo, a duabus albis columbis & duobus cygnis portato. Currum tres egregiæ virgines brachiis transversim obliquatæ, altera alteris duabus poma itidem aurea tradente, cingebant.* Hæc testimonio *Hofmanni*, vetus quoddam Borussiæ Chronicon D. *Fabri*, fol. 237. annotavit. Qui item *Hofmannus Johannem Turpinum*, fol. 347. & *Albertum Crantzium* citat, cujus *Mauritium Brand*, in Chronicis suis fol. 563. mentionem fecisse, dicit: Ita ut juxta *Hofmanni* sententiam Heros hic Romanus THORANDUS (si unquam extitit) non solum Borussos vicerit, sed Thorunium etiam proprio concesso nomine ædificaverit.

Refutatur. §. 31. Sed quam exiguo hæcce nitantur talo, unusquisque, qui unquam compendium modo sive Borussicæ s. Romanæ historiæ, non dicam legit, sed modo pervolvit, facile perspiciet. Si enim templum istud per quingentos durasset annos, Cruciferorum adhuc tempore non solum templum, sed urbs etiam stetisset. De quibus autem tam in scriptoribus Borussiæ & Poloniæ, quam etiam Germaniæ, ac in veteribus privilegiis Diplomatibusque altum ubique est silentium. Et nec THORANDUM unquam in mundo extitisse, cum *Hartknochio* credo; qui neque in *Turpino*, neque *Crantzio* quicquam huic historiæ simile invenire potuit. De D. *Fabro* & *Mauritio Brand* autem nihil loqui, & ne nomina eorum unquam audivit; quanquam multum ad cognoscendos Borussiæ scriptores operis

ris sibi dederit. l) Et sane miror, *Hosmannum*, ut Imperialem Historicum, non plus scientiæ in antiquis possedisse historiis, quod hanc anilem fabulam non ipse modo crediderit, sed & ut specimen historiæ Thorunicæ (quam & jamjam se absolvisse dicit, ut in dedicatione gloriatur) urbi Thorunio dedicaverit, ac pro verissimo & ex optimis scriptoribus congesto obtruderit.

§. 32. Nec objici posse videtur, quod *Wurffbain* m) & *Schurtzfleisch* n) aliique Germaniæ scriptores somniant, OTTONEM III. Imperatorem nempe Borussos vicisse Imperioque subjecisse Germanico. Dici hoc quidem, sed neutiquam idipsum antiquorum historicorum potest probari testimoniis, neque ullis confirmari argumentis; Ut illud inter alios Nobl. Vir-Juvenis, CAROLUS ERNESTUS RAMSEY, Elbing. Amicus conjunctissimus, in Oratione Valedictoria: *De Elbinga Imperio Romano nunquam subjecta*, a. 1739. d. 11. Mart. in Gymn. Elb. publice habita & adhuc MSCta, erudite evicit. Et quanquam illud etiam *Schurtzfleischius* l. c. ex *Helmoldo* o) probare annititur, probari tamen nequit. Inspiciamus enim *Helmoldum* modo l. c. aperte exinde patebit, hæc non de OTTONE III. sed BOLESLAO I. *Chrobry*, Pol. Rege, (cujus expeditionem supra jam memoravimus) OTTONI tunc fœdere & amicitiæ vinculo juncto, dicta esse. Quod de CAROLO MAGNO *Aventinus* p) enarrat, fabula est, nec refutatione indiget, sed de se ipso corruit. Nec Otto III. Prussos Imperio subjecit.

§. 33. Facile autem origo omnium horum Imperii in Borussiam prætensorum divinari potest. Romani nempe antiquitus Origo Juris Imperii in Prussiam.

l) Hartknoch, Alt und Neues Preussen/ P. 2. cap. 3. p. 368.
m) Wurffbain, in relat. histor. p. 6.
n) Schurtzfleisch, in Dissertat. de Rebus Prussicis, §. 2.
o) Helmold. Chron. Slav. l. 1. cap. 15.
p) Aventinus, in Annal. Bojor. l. 4.

quitus Imperio suo multas magnasque tribuere laudes soliti erant; ita ut & sese *Rerum Dominos*, urbem vero suam *Terrarum Deam*, *Gentiumque Romam* appellaverint, superbis hisce verbis gloriati:

*Orbem quod totum Victor Romanus haberet,*
*Qua mare, qua terras qua sidus currit utrumque.*

Cum tamen certum sit, minimam illos terræ portionem modo possedisse, illisque versus Septentrionem *Danubium*, ad Orientem vero solem *Euphratem* terminos positos fuisse. Et hoc postea etiam Imperatores eorum sibi arrogarunt, ut pro *Rerum* & *Mundi Dominis* haberi voluerint. Quoniam & S. Scriptura, pro istorum temporum conditione, Imperium Romanum τὴν οἰκουμένην, h. e. *mundum* appellavit, Imperii scriptores eo tandem id agitarunt, ut successu temporis, seculis præsertim XI. XII. & XIII. Hæreticos illos denominarint, qui, Imperatores totius mundi Dominos esse, non credidere. Quo jure postea Imperatores etiam longe lateque remotas terras ac regiones, & quas nunquam nec ipsi, nec antecessores eorum attaminaverant, aliis donarunt, magnam sibi inde famam comparantes, *Hermanno Conringio* teste. q)

De donatione Crucisferis ab Friderico II. facta.

§. 34. Vestigia itaque antecessorum premens, etiam FRIDERICUS II. Imperator Ordini Teutonico in Diplomate supra citato Borussiam donavit, quam tamen nec ipse, nec Antecessores ejus unquam attigerant, ut satis superque jam demonstravimus. Quam nullius quamvis momenti donationem Ordinis teutonici tunc supremus Magister, HERMANNUS a Saltza, ex hoc nudo argumento gratis etiam accepit, ita ut optimo jure unusquisque tum temporis veterum Borussorum his *Arminii* verbis uti potuisset: r) *Quis est autem Cæsar? & quid ad illum, quid agat nostra Prussia? Num ego me interpono Romanis?*

§. 35.

q) Herm Conring. de Germanor. Imperio Romano, cap. 2.
r) Florus, l. 3. histor. c. 10.

*Christianus Monachus, cum Pontifice de Prussis colloquium instituit & in primum Prussiæ Episcopum consecratur.*

§. 35. Sed accedamus jam ad Ordinis Teutonici tempora. Seculis enim XII. & XIII. Borussi veteres conterminam sibi Masoviam continuis excursionibus & deprædationibus infestarunt, eamque tributo vestium imposito sibi subjecerant. Contigit interea, ut *Monachus* quidam *Olivensis*, CHRISTIANUS, gente a FREUENWALDE, Ordinis S. *Bernhardi* Cisterciensis, ab *Abbate Olivensi*, tempore COELESTINI III. Papæ, in negotiis Monasterii Romam mitteretur, qui instituto cum Pontifice de rebus provinciæ prutenæ colloquio, se non modo latinæ, germanæ & polonicæ, sed prussicæ etiam lingvæ gnarum esse affirmabat. Hic itaque & miseria Masoviorum a Borussis perpessa commotus Pontifex CHRISTIANUM hunc in primum totius Borussiæ Episcopum, post D ADALBERTUM & BRUNONEM Martyres, in partibus infidelium a. 1215. more consveto rite consecravit, & Borussiam ei totam subjecit; ut illam armis suis spiritualibus, & si hæc non sufficerent, auxilio armorum quoque temporalium occuparet. s)

*Ac cum Conrado, Masoviæ Duce, Ensiferos Livonenses in auxilium vocat.*

§. 36. CHRISTIANO ad hanc expeditionem CONRADUS, tum temporis Masoviæ Dux, omne, quod in viribus erat, auxilium præstabat, qui autem propriis ad opprimendos Borussos destitutus viribus, consilio novi Episcopi CHRISTIANI, Fratres Ordinis Ensiferorum (die Schwerdt-Brüder) anno 1204. contra Barbaros instituti, e Livonia, litteris ob hoc ad ALBERTUM, Rigæ Episcopum, & Ordinis Magistrum missis, accersivit. Qui & petitis ejus obsecundantes CONRADO triginta Ordinis fratrum cum servis suis in auxilium mittebant, testibus *Luca David* l. c. *Schurtzfleischio* t) & omnibus præsertim Poloniæ scriptoribus. *Hartknochbius* vero hoc assertum plane negavit, & fictum illud esse, ex *Dusburgo*, *P. III.*



s) Testibus, Luca David, Preußische Chron. MSCto, l. 2. it. Chronico montis Sereni, ad annum 1215.

t) Schurtzfleisch, in Hist. Ensiferorum Ord. Teutonico-Livonorum.

*p. 33.* demonstrare conatus est, CONRADUM ipsum Ordinem quendam, sub *Militum Christi* nomine, Dobrini instituisse, (de quo statim eum unum idemque cum ordine Ensiferorum & Fratres Dobrinenses ipsos Fratres Livonenses esse cognoscemus) innuens. u) *Dusburgum* autem multis in locis aequivocum esse, inter alios *Raymundus Duellius* w) optime annotavit, qui pro voce *instituit* rectius *vocavit* posuit. CONRADO enim proprium instituere Ordinem, nulla fuit tunc nec potestas nec authoritas.

Hi pactis confectis, Borussiam invadunt, sed caesi Livoniam repetunt.

§. 37. Ensiferis itaque Masoviam tum intrantibus CONRADUS tractum Dobrinensem, terrae Culmensi & Drewniczae fluvio conterminum, cum omnibus ad- & pertinentiis tradidit: eisque arcem quandam Dobrinum nominatam exstruxit, de qua etiam posthac Fratres nominabantur Dobrinenses. His Ensiferis CONRADUS, Masoviae Dux, & CHRISTIANUS Episcopus de omni terra, quam Borussis erepturi essent, dimidiam partem cum omni jure in aeternum possidendam donarunt. Confecta arce Dobrino Fratres hi cum CONRADI copiis Borussiam invadebant, multumque praedae Victores secum in Masoviam asportabant. Vix autem Masoviam modo ingressis, Borussi magna militum manu cervici eorum impingentes tanta eos clade trium nimirum dierum affecerunt, ut paucissimi in Masoviam reversi sint. His peractis, Ensiferi quidem nonnulla adhuc cum Prutenis discrimina habuere, nunquam tamen ad priores rursus vires pervenere; ita ut paulo posthac, ex voluntate Magistri Livonensis, Dobrinum relinquerent Livoniamque repeterent.

§. 38.

u) Hartknoch, im Alt- und Neuen Preussen / Part. II. cap. 1. p. 270. seqq.

w) Raymundi Duellii, Historia Ordinis Equitum Teutonicorum, Anno 1727. Viennae, fol. edita, Part. II. cap. 1.

§. 38. Masovia ita a Barbaris vastata, CHRISTIANUS Pontificem per amorem atque crucem Jesu Christi Salvatoris obsecravit, ut fidelibus auxilium contra infideles præstaret, eamque sibi rem non minoris haberet, quam Terræ Sanctæ expugnationem; Borussis enim æque ac Saracenis, Christianæ fidei asseclas persequentibus, imo in viscera usque Ecclesiæ sævientibus.

Christianus Pontificem adit & auxilium contra Prussos petit.

§. 39. Nec tamen & CHRISTIANI Episcopi arma spiritualia fuisse frustranea, donationes quorundam Borussiæ districtuum a quibusdam *Supanis Prussicis* sacra baptismatis unda expiatis factæ testantur. Inter quos præcipue eminebant WARPODA & SVAVABUNO, qui Romam cum Episcopo petentes coram Pontifice ibidem terras suas, WARPODA nempe terram *de Lausania*, & SVAVABUNO terram *Lobaviensem*, in perpetuum CHRISTIANO donavere, idque ab INNOCENTIO III. Pontifice confirmari voluerunt, teste *Lengnichio*. x) Quæ etiam terræ & districtus hodierno adhuc tempore Diœcesi Culmensi incorporatæ manent.

Warpoda & Svavabuno, Nobiles Prussi Christiano terras suas donant.

§. 40. INNOCENTIO III. interea mortuo, HONORIUS III. successor crucem contra Borussos prædicari jussit. CONRADUS item Masoviæ Dux ac proceres Poloniæ multa CHRISTIANO Episcopo donavere prædia bonaque, ut & totam Culmensem, Malymnoviensem, Radzinensem aliosque tractus jure perpetuo concessere. y) Copiis interea ad hanc expeditionem cruciatam (Creutz-Zug s. Creutz-Fahrt) in Borussiam missis, intra annum ad internecionem fere a Borussis Masoviam rursus ferro & flammis vastantibus deletis, reliquiæ infectis rebus in patriam revenere.

Crux contra Prussos prædicatur.



x) D. Lengnichs/ Poln. Bibliotheck/ p. 317. in notis. it. Diplomata & Confirmat. harum donationum, T. I. Act. Bor p. 259. sq.
y) Vid. Acta Borussica, T. I. p. 61. 260. & sparsim. ut & Leibnitzii Codicem Juris Gentium Diplomaticum.

Episcopus & Conrad. Ordinem Teutonic. in auxilium contra Prussos vocant.

§. 41. Cum itaque neque in his præsidii quicquam invenissent CONRADUS Dux & CHRISTIANUS Episcopus, alia petere auxilia coacti fuere. Unanimi igitur consensu ORDINEM TEUTONICUM S. MARIÆ in *Hierusalem*, contra Saracenos in *Terra Sancta*, anno 1191. institutum & a COELESTINO Papa confirmatum z) elegerunt, ac missis quibusdam ad supremum Ordinis Magistrum, HERMANNUM a Saltza, legatis, eum in Borussiam invitarunt. Qui quidem accepto nuncio (nescio qua ratione) auxilium primo denegavit, consultis autem postea Imperatore, Pontifice & ordinis fratribus, duos ex illis, CONRADUM nempe a Landsberg & OTTONEM a Saleiden, cum octodecim equitibus ad CONRADUM Ducem & CHRISTIANUM Episcopum, ut de pactis convenirent, misit.

Hi advenientes pacta ineunt.

§. 42. Hi advenientes ab AGASIA, Ducis CONRADI (qui profectus erat) conjuge, humanissime excipiebantur. Post reditum vero CONRADI & Episcopi, Legati hi de pactis tractare cœperunt, eaque etiam paulo post unanimi consensu & Ducis & Episcopi & Masoviæ Magnatum concluserunt. Quæ facta sunt juxta *litteras* Cruciferis *datas*, anno 1228. quod & testatur *Chronicon Vetus*, der Lande Preussen/ alias *Samilianum* dictum, (& in Biblioth. Gymn. Elb. publ. adhuc MSCt. adservatum) p. 7. seqq. In pactis hisce CONRADUS Cruciferis totam Culmensem Terram cum omnibus ad- & pertinentiis ad primam sedem & propugnaculum jure perpetuo concessit ac donavit. Quod CHRISTIANUS Episcopus non solum confirmavit, sed & decimis ex territorio culmensi provenientibus auxit. a)



z) Hartknoch, Alt und Neu Preussen/ P. II. cap. I.

a) Vid. Acta Boruss. ubi Donationes, cessationes ac confirmationes hæ, T. I. pag. 394. seqq. legi possunt.

§. 43. Confecto itaque contractu & pactis inter CONRADUM Ducem, CHRISTIANUM Episcopum & Cruciferos, noluit Magister eorum, HERMANNUS a Saltza, amplius feriari; sed omnibus viribus annisus est, ut promissioni Masoviæ & Episcopalium bonorum defendendorum, Borussiæque Barbaris eripiendæ, factæ responderet, ac expectationi de se suisque conceptæ abunde satisfaceret. HERMANNUM itaque de Balcke s. Balckonem, primum Borussiæ Provincialem creatum, multis cum copiis, initium expeditionis faciendæ causa, in Borussiam misit, adscitis ei in auxilium, Fr. DIETERICO de Behrenheim, Marschalco; Fr. CONRADO de Tutele, Commendatore; Fr. HENRICO de Bergen, *Thuringo*, Commendatore domestico; Fr. POPPONE ab Osterna, Hospitalario; ut & HENRICO de Wittekendorff; BERNHARDO de Catzenelnbogen; OTTONE de Querenfurt; Fratribus aliisque. b) Quibus confectis, Magister eorum Hermann. de Balck, Provincialem, cum copiis in Prussiam mittit.

§. 44. His Masoviam ingredientibus, HERMANNUS de Balcke Provincialis cum CONRADO Duce & CHRISTIANO Episcopo nova adhuc a. 1230. in *Cruswitz* sancivit constituitque pacta, quibus & omnia, quæ posthæc de personis vel bonis Barbarorum captivatione, deprædatione, extorsione, occupatione, vel subjugatione mobilium sive immobilium, terrarum & aquarum, atque omnium in eis contentorum, adipiscerentur vel occuparent, jure integro & æterno, cum omnium hæredum ac magnatum consensu & expressa voluntate, illis donarunt. Quam adhuc donationem CHRISTIANUS Episcopus, translatione donatorum sibi a CONRADO aliisque districtuum, in Cruciferos, singulari Diplomate auxit & confirmavit. c) Pactis his confectis, ac sigillis subscriptionibus- Qui novis adhuc pactis sancitis Prussos invadunt, eosque vincunt.



b) Vid. Luc. David, Chron. Pruss. MSCto, lib. 2.
c) Pacta hæc, Obligationes, Cessiones, Diplomata, Donationes, T. I.II.III. Act.Bor.sparsim legi possunt, ut & alia ad hæc spect.

nibusque communitis, Provincialis de Balcke *Vogelſangum* munitionem ædificavit, e qua rapaces Boruſſos magna jactura repulit, poſtea etiam in univerſam Boruſſiam, ope Germanorum Principum incurſionem fecit, ſed quinquaginta tribus annis integris vix eam occupare, Boruſſosque ad Chriſtianæ fidei ſacra amplectenda, niſi certis ſub conditionibus ac multis conceſſis libertatibus, redigere potuit. Et

*Tantæ molis erat, Pruthenam vincere Gentem.*

Hic itaque Ordinis Teutonici in Boruſſiam adventus, hoc eorum poteſtatis initium, ſed etiam interitus & internecionis ejus origo. Quam exiguo interim ii nitantur talo, qui cum Poloniæ Scriptoribus, CONRADUM Cruciferis terram Culmenſem in feudum dediſſe, aſſerunt, ut occupata Boruſſia ad Maſoviam rediret, & ut Cruciferi omnia, quæ a Barbaris occuparent, æquo quorundam arbitrorum judicio, cum eo partirentur, d) ex antedictis facile unusquisque perſpiciet, ſimulque nullum tam Polonis, quam Romanis & Germanis in Boruſſiam fuiſſe jus animadvertere, & priora inde ac ſequentia illuſtrare poterit.

Forma regiminis Ordinis in Boruſſia. Abſolutam Magiſter in Ordinem poteſtatem non habuit.

§. 45. Formam enim Regiminis ſi attendamus, neque in Ordinem ipſum, neque in incolas abſoluta fuit penes Magiſtrum poteſtas. Hic enim ſine expreſſo totius Ordinis, Commendatorum ac Fratrum conſilio & conſenſu facere aut concludere nihil potuit. Si bella annuncianda, fœdera comprobanda, pax facienda erant: Magiſter adſcitis etiam Italiæ, Germaniæ & Livoniæ Provincialibus, omnibusque Ordinis Commendatoribus ac Fratribus, conventum prius indicare, illisque congregatis, tunc demum Capitulum, (Tagfahrt) in quo omnia diſcuterentur vel approbarentur, celebrare illi licebat. e) Ma-

d) Cromerus, lib. 8. de Origin. & Rebus geſtis Polonorum.
e) Vid. Conſvetud. Ordinis, n. 2. MSCt. it. Schütz, Preußiſche Chron.

Magiſtro enim nec in Germaniam aliasque Regiones propria voluntate proficiſci, nec privilegia concedere, nec conceſſa confirmare, nec etiam pecuniam præter centum *Bizantos* alicui mutuo dare, liberum erat, ſed hæc omnia ex totius Ordinis voluntate & arbitrio fieri, legibus cautum erat. f)

§. 46. *Nec in incolas* abſoluta Magiſtro poteſtas, ſed valde adſtricta. A primo quippe Cruciferorum in Boruſſiam ingreſſu, varia privilegia Boruſſis fuere conceſſa, quibus poteſtas Magiſtri & Ordinis limitata fuit. Supervacaneum eſſet, omnia Civitatum & Ordinum ſingula recenſere privilegia, cum certum ſit, plurimos illis fere abundaſſe. Eminet inter illa præſertim *Privilegium Culmenſe*, ab HERMANNO de Saltza, Magiſtro Generali, & HERMANNO de Balcke, Magiſtro Boruſſiæ Provinciali, ao. 1233. conceſſum, & a Fr. EBERHARDO, dicto de Sayne, *Præceptore Domus S. Mariæ Teutonicorum per Alemanniam, & Vices Gerente Magiſtri Generalis per Livoniam & Pruſſiam*, anno 1251. renovatum, g) quo abſoluti ſunt Boruſſi ab omnibus Vectigalibus pendendis, item ab omnibus collectis injuſtis, aliisque exactionibus indebitis; h. v. *Abſolvimus totam terram prædictam ab omni prorſus telonii exactione*, quod D. *Joh. Caſp. Venator*, Ordinis Teutonici Diaconus, tanti æſtimat, ut hæc nec Clericis noſtro tempore facile concedi, nec etiam in vigore antiquo conſervari credat. h) Et non minoris etiam privilegium iſtud Boruſſis Neophytis, anno 1249. ſeptimo Idus

Nec Ordo etiam in incolas, ſed multis Pruſſorum immunitatibꝰ limitatam.

Chron. fol. 157. it. Waiſſelii, Chronica Preußiſcher/ Liefländiſcher und Curiſcher Geſchichte/ fol. 172.

f) Vid. Leges Godofr. de Hohenloh, in Cod. MSCt. Regiomont. fol. 78. it. Conſvetud. Ord. n. 10. ſeqq. it. Leges Ludov. ab Erlichshauſen, in Cod. MSCt. Regiom. fol. 114. &c.

g) Vid. Jura Fundamentalia Terrarum Pruſſ. p. 5. ſeqq. a. 1733. Ged. 4to edita.

h) D. Joh. Caſp. Venator, Hiſtoriſcher Bericht vom Marianiſch-Teutſchen Ritter-Orden und ihrem Wappen / 4to, c. fig.

Idus Februarii, ab JACOBO, Archidiacono Leodinensi, ex mandato Pontificis, cum expressa Ordinis voluntate datum i) habendum est.

Statuum Prussiæ authoritas.

§. 47. Alias adhuc & multas immunitates incolis Borussiæ tum fuisse donatas, historiarum testantur monumenta. Conventus speciales Civitatibus & Nobilibus Borussiæ, etiam insciis Magistro & Cruciferis celebrare licitum erat. In his de bono publico sociatim consulebatur, decreta, quæ & sine Ordinis consensu valitura erant, edebantur, ac propria voluntate & authoritate tributa aliaque exigebantur. Judicia quod attinet, magnas in illis prærogativas Civitates habuere, ita ut summa omnium rerum instantia penes urbem Culmam, postea autem in unaquaque Civitate penes Magistratum esset, donec tandem appellationes ad commune consilium, des Raths von Landen und Städten/ (de quo paulo post) minime vero ad Magistrum vel Cruciferos solos, unanimi totius populi consensu suscipiebantur. k) Et quasdam etiam Borussiæ Civitates *Jura Majestatis*, ut e. g. *jus monetam cudendi*, *jus vitæ & necis*, &c. quæ alias Supremo solum Magistratui vindicantur, exercuisse, & adhuc dum exercere, annales & quotidiana testantur experientia.

Novum Consilium Prutheni-cum instituitur.

§. 48. Crescente autem interea Ordinis insolentia, cum privilegiis Borussorum derogare Cruciferi cœpissent, multæ exinde ortæ sunt turbæ; his Jura sua in Borussiam prætendentibus, illis autem privilegia sua sarta tectaque conservare conantibus. Donec tandem anno 1414. constitutum est, ne Magister cum Præceptoribus s. Commendatoribus (qui germanice Gebiethiger vocabantur) haberent potestatem, quidvis pro lubitu statuendi, sed ut in rebus gravioris momenti consiliarios sibi adjungerent, quatuor scilicet Fratres Ordinis, decem

i) Joh. Leonis, Historia Prussiæ, Lib. II. p. 86. Edit. Brunsb.
k) Schütz, Preußische Chron. lib. 9. fol. 443.

decem ex Nobilitate potentiori, item ex Culmenſi, Thorunienſi, Elbingenſi, Regiomontana & Dantiſcana, binos ex unaquaque Conſiliarios, ſine quibus nihil in Juribus Majeſtatis exercendis ſuſciperent, uti refert *Schützius* l) aliique; quamvis *Grunovius* tunc ſolum, quando tributa erant exigenda, convocatos fuiſſe velit. Deinde 1430. in conventu Elbingenſi, a Magiſtro, Prælatis, Nobilitate & Civitatibus conſtitutum eſt, ut in Conſilium Boruſſicum coirent, Magiſter, ſex Præceptores ſ. Commendatores Ordinis, ſex Prælati, ſex Provinciales; (hi vocabantur der Rath vom Lande/) & ſex ex Civitatibus Majoribus, (hi vero der Rath von Städten/) in genere der Rath von Landen und Städten;) ſine quibus nihil graviorum negotiorum pacis & belli tempore ſuſcipi poſſet.

§. 49. Hæc Boruſſiæ ſub Cruciferis facies usque ad annum 1454. e qua aperte patet, Cruciferos quidem per integra bina ſecula Boruſſiæ imperaſſe, nullam tamen in illam poteſtatem habuiſſe abſolutam; ſed imperium modo limitatum, & legibus quaſi ac privilegiis Boruſſorum obſtrictum. Quanquam certum ſit, Cruciferos non raro his immunitatibus reclamaſſe; nullo jure eas Boruſſis competere, aſſerentes, quod teſtatur *Schützius in Chronico ſuo Pruſſico* paſſim. Cruciferor. poteſtas in Boruſſos limitata non abſoluta.

§. 50. Quod vero Jus Imperii in Boruſſiam, ratione Cruciferorum nonnulli prætendunt, nullius id eſt momenti; Cruciferi enim quamvis Cæſari propter bona ab illis in Germania ac Italia poſſeſſa, juramentum fidelitatis, vulgo den Vaſallen-Eid/ præſtiterint, nullum tamen in Boruſſia Cæſaris agnoſcebatur imperium, ut ex controverſiis inter Ordinem & Status Boruſſiæ coram Imperatore, ratione *ligæ* a Boruſſis contra tyrannidem Cruciferorum initæ, clariſſime patet. m) Jus Imperii & Pontificis in Pruſſiam ratione Cruciferorum nullum eſt.

E Neque

l) Idem, ibidem, fol. 108.
m) Schütz. Chron. Pruſſ. l. 4. fol. 146.

Neque Jus Pontificis ullum eſt. Nam Ordinem quidem Pontifici ſpiritualiter ſubjectum eſſe, eſt, quod conceditur duabus manibus; Pontifex enim non ſolum in Ordinem, ſed & Boruſſiæ Epiſcopos & totum Clerum mandata exegit, ut e. g. cum HENRICUS a Richtenberg, Ordinis Magiſter, Epiſcopum tunc Sambienſem, DIETERICUM de Cuba, fame interfeciſſet, SIXTUS IV. Papa magnas Ordini intendit minas, eumque adeo excommunicationis fulmine percuſſit, h. v. *Deleatur peſſima illa nigra Crux; maledictus enim eſt Ordo, ubi Laicus regit ſuper Clerum.* n)

Pruſſi Cruciferis, ob tyrannidem obedientiam renunciant, & ad Regni Pol. tranſeunt caſtra.

§. 51. Noſtra jam aggrediamur tempora, & Boruſſiam nunc etiam ſub Sereniſſimorum Poloniæ Regum imperio ſuis adhuc vivere legibus, ſuis libertatibus demonſtrabimus. Coacti enim per tyrannidem Cruciferorum Boruſſi, ac ineffabilibus moleſtiis gravati, alium ſibi anno 1454. quæſivere Dominum, CASIMIRUM IV. nempe *Jagellonidem*, Poloniæ Regem. Initio quidem Ligam modo ſub Magiſtro tum temporis, PAULO de Rusdorff, contra vim Cruciferorum, ope ac præſide JOANNE a BAYSEN, ſplendidiſſimo illo patriæ Ornamento & Tutore, inierunt; ſed ceſſantibus nondum oneribus & facta apud Imperatorem & Pontificem ligæ excommunicatione, obedientiam Magiſtro tum temporis LUDOVICO ab Erlichshauſen, ac univerſo Cruciferorum Ordini renunciarunt, & ad Polonici Regni tranſierunt caſtra.

Quia Reip. inſtitutio viribus majus videbatur opus.

§. 52. In initio quidem in animo habuiſſe legimus, peculiarem condere Rempublicam, quam cives regerent. Verum viribus diffiſis ac impares ſe Cruciferis credentibus, tutiora eligere placuit. Scindebantur aliquantiſper inter Reges Daniæ, Poloniæ & Bohemiæ ſtudia, donec omnes in Poloniam conſentirent, quod Gens hæc finitima vetus odium in Ordinem

n) Waiſſelius, Chronica Preußiſcher/Liefländiſcher und Curiſcher Geſchichte/ fol. 124.

nem etiam post confectam pacem inter præcordia tacite aleret. Notandum tamen, Borussos ad Regem Bohemiæ servasse sibi aditum, si forte CASIMIRUS IV. delatum Regimen aut respueret, aut aliisquam inter Ordines conventum erat, modis adire mallet.

§. 53. Missi ergo Cracoviam Oratores, (quorum præcipuus JOANNES a BAYSEN erat) qui perficerent, in quæ universi consenserant, jamque aliquot dies præterlapsi, nec certi quid ex Aula Regia rescíscere licebat; impatientes itaque moræ legati, cogitare se Bohemiam ingressurosque propediem iter, nisi de voluntate Regiæ Majestatis constiterit; palam loquebantur. Libera vox tentatum hactenus opus absolvit, flexitque CASIMIRUM, ut, cum Legatorum postulatis annuisset, imperium susciperet. Ita Borussi in potestatem Regis Poloniæ, certis tamen sub conditionibus venerunt. Singulæ in privilegio Incorporationis (Deditionis potius) vulgo dicto exprimuntur; quod, si rem nomine suo appellare velis, improprie privilegium audit, cum *Pactum* potius sit, de quo antequam capesseret imperium, inter Regem & Pruthenos convenit. Patet ex eodem, quibus modis regi voluerint Prutheni. Modi hi formam Regiminis pruthenici absolvunt, de qua, ut paulo fusius agam, argumenti postulare videtur conditio. Dignus proinde labor, qui rite suscipiatur, cum etiam memoria antiquorum jurium oblitterata videatur.

Casimirus IV. Pol. R. Prussos in fidem recipit, salvis tamen privilegiis.

§. 54. Plerique Extraneorum provinciam nostram veluti in tres Palatinatus divisam regionem, quæ a reliqua Polonia nomine tantum differat, contemplantur. Errant bona fide, quoniam mediis destituuntur, quibus de veritate edoceantur, exteriorque species ac alia, quæ olim & nostris diebus accidere, animum in errore obfirmant. Nec Poloni recto tramite incedunt, & licet nonnulli veritatem videant, sunt tamen, qui affectu abrepti, in id unice incumbunt, ut Regibus

Errant, qui Prussiam Polonorum legibus vivere autumant.

nobis cæteroquin longe Indulgentiſſimis perſvadeant: *Nihil ſibi peculiare Pruthenos, ſed omnia cum Polonis communia habere: Provinciam Regno ita inviſceratam eſſe, ut, quæ placuerint leges, ſine murmure accipere teneantur.* Et illi, qui nobiscum ſub eodem cœlo nati, licet fando perceperint, eſſe Pruthenis ſua jura, ſuam libertatem, veram tamen ejus conditionem plerique, proh dolor! & quod nefas eſt dicere, plane ignorant. Hinc evenit, ut, quoties avita Privilegia verbis impetantur, noſtrates eadem, non prout decet, propugnent, ſi vero factis eneruentur, plane ſileant, quoniam prima vice nec libertati contraria, nec patriæ damnoſa videntur, & tum demum de injuria quærantur, quando civium crumenæ ſentiunt, connivendo eſſe peccatum.

Pruſſi enim peculiarem formant Rempublic. & cum Polon. præter Regem, nil commune habent.

§. 55. Principii inſtar, ex quo cætera deducam, pono, Boruſſiam, cui Sereniſſimi Poloniæ Reges imperant, cum Polonis præter Regem nil commune habere, & cum Regno perpetuo fœdere conjunctam eſſe, cæterum peculiarem conſtituere Rempublicam. Hæc conſtans opinio Majorum; hoc clypeo tuti, adverſariorum tela ſine vulnere excipiebant. Refert *Schützius* dignum poſteritatis teſtimonium. o) *Incorporatam eſſe Provinciam Regno*, ajebat Palatinus tum temporis Mariæburgenſis, NICOLAUS a BAYSEN. Hoc ita interpretamur, habere ſua jura Poloniam, habere ſuas immunitates Boruſſiam, ita ut ſuis Poloni, ſuis itidem Prutheni vivant legibus, ne tamen a fœdere, quo innexi reſileant. Et ipſi tunc, qui in Comitiis Coronationis Regis HENRICI VALESII aderant Prutheni, Regem ita allocuti: *Majores noſtri*, ajunt, *animo bene deliberato ad inclytum hoc Poloniæ Regnum, libera deditione, & ſua ſponte, nulla vi, nullis armis, aut externo metu coacti, acceſſerunt, certis interpoſitis pactis & conditionibus, ut Regno quidem Poloniæ incorporati, peculiarem tamen & ſeparatam haberent Rem-*

o) Schütz, Chron. Pruſſ. L. IX. fol. 386.

*Rempublicam, suisque juribus & consvetudinibus, cum quibus ad hoc Poloniæ Regnum accesserunt, libere & sine alicujus impedimento uterentur.* p) Quod & ipsum deditionis pactum satis superque testatur. q)

§. 56. Ex his tria notare lubet: Primo, habuisse sua jura Borussiam, antequam ad Regnum Poloniæ accederet, eademque sibi servasse. Deinde honorum, jurium, libertatum & prærogativarum Regni Poloniæ participem factam. Tertio, novis donatam privilegiis, quæ sigillatim recensentur. Quæ de his notanda veniant.

§. 57. Inde sequitur, Unionem cum Regno Poloniæ jura Provinciæ non sustulisse, quin potius roborasse, neque Borussiam aliter ad usum prærogativarum Regni Poloniæ admissam, nisi in quantum suis haud derogarent. His limitibus æterna utriusque Gentis conjunctio circumscribitur, quos aliqui eousque turbare conati sunt, ut, uti supra jam diximus, solo relicto nomine Poloniam in Borussia constituerent. Unio Prussiæ cum Polonia, Jura Provinciæ non sustulit sed potius roboravit.

§. 58. Minime ad horum ingenium D. CASIMIRUS IV. nostram ordinavit Rempublicam. Ipse enim pristinam administrandi formam aliquatenus servaturus, Provinciæ Gubernatorem præfecit, cui quatuor Palatinos, indigenas omnes, junxit, qui adhibitis Borussiæ Consiliariis, Palatinis nempe Culmensi, Elbingensi, Regiomontano & Pomerelliæ, r) tribus Castellanis, Culmensi, Elbingensi & Gedanensi, quibus additi erant & Consiliarii ex Civitatibus Majoribus, ita ut in Senatu Borussico septem suffragia Nobilitas, totidemque Civitates haberent, s) ut & tribus Succamerariis, quos Poloni limitum Casimirus Consilium Prussic. & Gubernat. Provinciæ instituit.

E 3 appel-

p) Vid. Arnoldi Dilgeri, Ged. Dissert. de Unionis, qua Poloniæ jungitur Prussia, indole, p. 1. §. 1.

q) Vid. Jura Fundam. Terr. Pruss. p. 12. seq. 1733. 4to Ged. edita.

r) Cromerus, de Origin. & gest. Pol. l. 27. ab initio. it. Neugebauer, Hist. Pol. l. 6. p. 387. it. Schütz, Chron. Pruss. l. 5 fol. 203.

s) Schütz. Chron. Pruss. fol. 106.

appellant Judices, quibus cum CASIMIRUS anno 1468. æque ac duobus cum Episcopis, Warmiensi nimirum & Culmensi, Senatum Borussicum auxerat, t) publica negotia tractarent conficerentque: addito peculiari Sigillo (quod GEORGIUS DANIEL SEYLER, Gymnasii Elbingensis Rector, in Dissertatione: *De Gubernatoris in Prussia Occidentali Antiquitate, Munere, Juribus & Abrogatione*, §. 13. ex Originali in Curia Elbingensi, pulchre delineavit) cum inscriptione: *S. Gubernatoris Terrarum Prussiæ*, ✝.

Joannes & Stiborius a Baysen primi Prussiæ Gubernatores.

§. 59. Et primus, cui id honoris contigit, JOANNES a BAYSEN fuit, Arragoniæ & Hispaniæ ab Saracenorum jugo Liberator, Vir acri consilio, summa fide & in rebus maximi momenti gerendis promptissimus, imo fœderis Pruthenici Præses ipsiusque defectionis Dux & Antesignanus, qui summam hanc Generalis totius Prussiæ Gubernatoris dignitatem magna laude ab anno 1454. ad finem usque vitæ suæ 1460. strenue sustinuit; Successoremque nactus est STIBORIUM a BAYSEN, fratrem natu minorem, u) qui utut Palatinus Elbingensis ao. 1461. hunc honoris gradum consequutus, Provinciæ gubernacula haud minori, dum vixit, fama tenuit. Duos hos tantummodo Pro-Reges s. Gubernatores Borussia habuit. Hic vero, quando demum abrogatus fuerit ipsaque adeo Vicariatus hujus dignitas desierit, magna apud annalium Prussicorum scriptores est dissensio. Etenim *Dlugossus*, w) *Cromerus*, x) *Bielski*, y) & cum iis *Schützius* z) quoque unanimi con-

t) Idem, lib. 7. fol. 333 - 336.

u) Corrigendus itaqve Hartknochius, qui Dissert. XIX. de Republ. Veter. Prussor. §. 20. perperam eum Johannem nominat.

w) Dlugossus, Lib. XIII. Hist. Pol. pag. 403. Edit Lips.

x) Cromerus, de Orig. & gest. Pol. lib. XXVII. & ex eo Neugebauer, Hist. Pol. L. V. p. 381.

y) Bielski, Kronicka Polska, p. 444.

z) Schütz, L. VII. fol. 333.

consensu asserunt, D. CASIMIRUM anno 1467. sublato Gubernatoris titulo pariter ac Palatinatu Elbingensi, STIBORIUM a BAYSEN primum Mariæburgensem Palatinum creasse. Quibus autem Conventuum Annales & D. *Lengnichius* plane repugnant, invictis rationibus comprobantes: STIBORIUM hunc BAYSENUM ad annum usque 1480. emortualem suum Prussiæ Gubernatorem fuisse. a)

His demortuis, Rex Amb. Pampowski Gubernatorem nominavit, sed renitentibus Prussis provinciæ Gubernac. ad Warmiæ Præsules pervenerunt.

§. 60. Mortuo STIBORIO, Prussiæ Ordines de vidua hac sparta sæpe quidem solliciti fuere; sed frustraneo conatu, vices interim (quantum ad Conventus publicos attinebat) Palatinis, modo Mariæburgensi, modo Culmensi, ad annum usque 1503. gerentibus. Sequenti vero anno Rex ALEXANDER I. Thorunii primum, post Mariæburgi, de novo Gubernatore flagitatus, AMBROSIUM PAMPOWSKI, Palatinum Sieradiensem, Prussiæ Gubernatorem denominavit, quem tamen, utut a D. SIGISMUNDO I. Rege anno 1509. confirmatum, eo, quod neque indigena, nec Ordinum consensu institutus esset, Prussi recipere constanter recusarunt. Quo factum, ut Terrarum Prussiæ præsidium & provinciæ Gubernacula tandem ad Warmiæ Præsules, qui illis & nostro adhuc tempore magna cum laude perfunguntur, devolverentur. b)

Sigillum Gubernat. Prussiæ Civitati Elbingensi traditur, ut & norma Regiminis a D. Casimiro instituta.

§. 61. Sigillum supra memoratum Gubernatorium, mortuo STIBORIO a BAYSEN, Prutheni fratri ejus, NICOLAO a BAYSEN, tradiderunt, quod eum Gubernatorem mallent. Sed renitente Rege, & ipso NICOLAO postea defuncto, GEORGIUS a BAYSEN illud anno demum 1503. Consiliariis Terrarum reddidit, qui id deinceps a Civitate Elbingensi servari voluerunt, uti Conventuum annales testantur: Consiliarii ab Ordinibus lecti, Gubernatore Palatinisque in eorum numerum receptis. Penes hos, absente Principe, majestas & im-

a) D. Lengnich, Dissert. de Senatu Prussiæ, §. 8. 9. conf. 18.
b) Idem, l. c. §. 18 - 22.

imperium, nisi quando e re videretur, universam Nobilitatem minoresque Civitates convocare. Iidem, qui sub Equitibus Teutonicis Conventus; idem contribuendi modus; eadem Judiciorum forma; hoc saltem discrimine, ut cum olim Magister coram, Rex, quod in Polonia degebat, plerumque per legatos ageret, ipsique Proceres nonnunquam Regi missis oratoribus publicam salutem commendarent. Nulla adeundi Regni Comitia necessitas, nulla consiliorum cum Polonis communio, nisi pro ferendo, quod ex pacto debebatur, Prussiæ auxilio. Ita utraque Gens sub eodem Principe perenni fœdere coaluerat, ut neutra relictis patriis moribus in alterius leges transiret. c)

Jus Indigenatus.

§. 62. Inter alia, quæ Prussos a Polonis separant, præcipuum est, quod in deditionis pacto continetur; JUS INDIGENATUS, quo vacantes in Prussia Capitaneatus & dignitates solis in Prussia natis & lingvæ Prussicæ peritis conferri debent. Possem quidem, si necesse esset, multos eorum, qui licet gente Poloni, in Prussia tamen tum Capitaneatus, tum alia munera obtinuerunt, adducere, quod quidem læsum sæpe, minime tamen abrogatum Jus nostrum testatur. Cum illud potius D. AUGUSTUS II. Rex, singulari Diplomate 1699. ut & feliciter hodie imperans Rex AUGUSTUS III. 1734. Divorum Antecessorum exemplis insistens, confirmaverit. d) In Polonia etiam Prussis bona terrestria emere, possidere, ut & dignitates & munera adire liberum est, sed neutiquam Polonis id in Prussia contigit, nisi prius JUS avitum INDIGENATUS Pruthenici magnis sumptibus, vel maximis in Prussiam meritis acquisiverint. Ultimum & a. 1712. Illustriss. Dn. JOANNI CHRISTOPHORO in Słupow SZEMBECK, supremo tum Regni

c) Schütz, Preußische Chr. l. 5. it. Lengnichii, Forma Regim. Pruss.
d) Vid. Pacta Conventa Regis Augusti III. à D. Lengnichio, c. notis, fol. Lips. edita, Artic. 39.

Regni Cancellario, nunc Epifcopo Warmienfi & Sambienfi, S. R. I. Principi ac Pruffiæ Præfidi, (quem nuperrime d. 17. Mart. hujus anni 1740. pie ac fancte demortuum, Patria ob laudes arduas præftantesque, quas ipfa intuetur æternitas, & quæ nullum peritura per ævum, ob immortalia in religionem, jura atque libertates merita, prudentiam fagaciffimam difficillima negotia expediendi confilioque nixam, animum in adverfis æque ac fecundis firmiffimum, ac juftitiam fuum cuique tribuentem, fummo mœrore, triftitia ac lacrymis luget) ob extantiffima & maxima in ecclefiam DEI & has Pruffiæ terras merita contigit, quod provincia noftra optime agi de Juribus fuis confideret, fi eorum tutela non extraneo, fed Civi concrederetur.

§. 63. Exiguntur in Polonia telonia, quo onere ne unquam Pruffia premeretur, in pacto Deditionis profpectum eft. Hanc immunitatem novo laudo, in Conventu Mariæb. 4. 1713. roborarunt Ordines, omnimodo volentes: *ut in futurum unicuique Incolarum harum terrarum liberum fit commercium, absque ulla præpeditione & teloniorum exactione, & ut ad nulla alia, nifi quæ in finibus Regni antiquitus pendi folebant, obligarentur, vigore Pacti Deditionis.* Hinc quoties nova exigi cœperunt, provacare ad vetera Jura Ordines, eorundemq; obfervationem eniximme petere. Ut ex quærelis 1674. in Comitiis Electionis JOANNIS III. SOBIESKI allatis aperte patet. Inprimis Vectigalia ad Diboviam & Fordanum gravia Noftratibus vifa, de quibus fæpe & tempore Interregni, poft obitum JOANNIS III. 1696. quæftos, Acta publica teftantur. Et cum magnum illud confilium, quod anno 1710. Varfaviæ habitum eft, telonium ad Fordanum iterum decerneret, injunctum eft Nuntiis 1712. *ut in Comitiis, pro omni poffe, operam fedulo navent, quo telonium illud tollatur & aboleatur.* Quod & anno 1733. in Comitiis Mariæburgi rurfus fingulari Laudo roboratum eft, e)

Pruffia a Vectigalibus libera.

ac quorum abrogationem etiam Sereniss. Rex AUGUSTUS III. 1734. in pactis Conventis, a *Lengnichio* editis, *Art. 40.* sancte pollicitus est.

Comitia & modus contribuendi Prussorum peculiares, ut & de Thesaurar. eorum.

§. 64. Generales Conventus celebrant Borussi, & tunc demum Nuntios ad Regni Comitia mittunt. Qui Conventus Comitia etiam appellantur, quamvis Poloni mallent comitiola, intercedentibus tamen Prussis, & a Germanis, **General-Land-Tage** s. **Tage-Fahrten**/ quæ particulares adhuc Conventus s. **Particulaire Land-Tage**/ in quovis Palatinatu & Districtu præcedunt. Ubi & certo tempore & loco confluere convocatos, de rebus ad provinciam pertinentibus, & de litteris regiis per Legatum traditis deliberare, eis respondere, unanimi consensu per lauda (ut loquuntur) s. Constituta expedire deliberata & finire scimus. f) Singularis etiam Borussis contribuendi modus: Polonos enim in Comitiis, Borussos contra non nisi in Conventibus suis Generalibus publicam pecuniam sciscere notatur. Præterea habent Borussi peculiares, aliosque ac Poloni, contribuendi modos, qui in laudis, ut vocantur, Constitutionum describi solent. Quare non tantum sciscendæ sed & modificandæ contributionis præsentes ex Borussia in Comitiis Nuntii suis integrum semper servant. Decreta in Generali Conventu pecunia non Regni, sed Borussiæ Thesaurario traditur, ex quo provincia nostra semper habuit, qui huic muneri præesset, & qui sub Ordine Teutonico *Trapiarius*, **Treßler** s. **Trisorer**/ nominabatur. Inter Jura, quæ ei competunt, non infimum est, ut nemini, quam Ordinibus Prussiæ rationem accepti vel expensi reddere teneantur. g)

§. 65.

e) Vid. Schultzii, Historiam Interregni Novissimi, & Comitior. in Prussia Polon. 1733. celebratorum, p. 33. 34.

f) V. Willenbergii, s. potius Lengnichii, Diss. de Pruss. Comit. p. 1. sq.

g) De hoc, vid. plur. Joh. Constant. Ferber, Ged. Dissert. de Muneris Thesaurarii in Pr. Occid. Juribus &c. 1721. Ged. hab.

§. 65. Nec Borussi ad generalem bellicam expeditionem cum Nobilitate Polonica, vulgo *Pospolite Ruszczenie*, **der Aufboth des Adels** / NB. extra fines suos sunt adstricti. Solent enim Poloni non solum pecunia, sed & viris laborantem adjuvare Rempublicam, quoties Rex urgente necessitate universam Nobilitatem ad expeditionem bellicam convocat. Prussi vero, qui beneficio privilegii Culmensis tempore Cruciferorum, extra fines provinciæ suæ in bellum proficisci haud tenebantur; hanc immunitatem sub Serenissimorum Poloniæ Regum imperio illibatam sibi etiam servarunt. h) Quod autem expeditionem Generalem intra fluvios Vistulam, Ossam & Drewniczam, tanquam Borussiæ fines limites, attinet, nunquam se subduxerunt Nostrates, si quando eam publica flagitaret securitas.

Prussi Generali bellica expeditione non ligantur.

§. 66. Civitates & eorum incolæ multis etiam & magni sane momenti gaudent libertatibus & privilegiis, quorum non minimum est istud 1538. a SIGISMUNDO I. concessum: *Civibus Bona Terrestria, & Nobilibus Bona Civilia liberum est deinceps emere, ita tamen, ut ad paria onera utrinque ferenda sint obligati. Quod scilicet Cives, ratione bonorum terrestrium, omnia Nobilitatis onera æquis passibus ferant.* Quod Juris Polonis, excepto Magistratu Cracoviensi & Wildensi, non contigit. i) Item Civibus facilis in Borussia, ad officia & dignitates terrestres, Canonicatus, imo etiam Infulas est aditus, in Polonia vero fere nullus. Quorum exemplis annales fere abundant. k) Quæ omnia *Martinus Cromerus* breviter enarrat sequentibus: *Prussi itidem & Poloni, sacro & profano Ordine, Nobilitate ac plebe, distinguuntur. Sed paulo meliore est conditione plebs in Prussia, quam in reliqua Polonia. Eodem quidem cum Nobilitate jure & iisdem legibus*

Privilegia & immunitates Pruss. Civitatum.



h) Vid. Jura Prussiæ fundamentalia, p. 20. seqq.
i) Hartknoch, Respublica Polonica, l. 2. c. 5. n. 18.
k) Idem, **Alt und Neues Preussen**/ lib. II. cap. VIII. pag. 641.

*bus utitur, prærogativis modo quibusdam inferior, per quas tamen Plebeji, neque a bonis terrestribus, neque ab honoribus & Magistratibus, neque a Sacerdotiis, neque a Consilio publico arcentur. Nec Nobilitas modesta & frugalis eos dedignatur.*

Leges Civiles Prussiæ peculiares.

§. 67. Habet & Prussia Leges, ad quas litigantium controversiæ definiuntur, peculiares: Nobilitas JUS, ut vocatur, TERRESTRE, quod 1598. Constitutione Regni firmatum est l) & sequenti anno 1599. cura Succamerarii Culmensis, MATTHIÆ a KONOPAT, ac Thoruniensis Præconsulis, HENRICI a STROBAND, Thorunii primo prodiit. m) Civitates pleræq; CULMENSE, quod vocatur TERRESTRE, exceptis Civitatibus ELBINGENSI, BRUNSBERGENSI & FRAUENBURGENSI, quæ ab incunabulis suis in hunc usque diem JURIS retinent LUBECENSIS usum.

Quid circa Regimen Pruthenic. tempore Interregni observandum.

§. 68. Non alia, quam vivente Rege fuit, tempore Interregni inter Prussiam Poloniamque unio, nulla in provincia nostra ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS & Regni Primatis authoritas, sed quam ille in Polonia Lithuaniaque gerit personam, in Prussia Terrarum Præses induit. Hic Ordines convocat; hic Conventibus locum tempusque dicit; hic capita deliberandi proponit. Nec fœdus, *Kaptur* vulgo dictum, quod Poloni ineunt, Prussiam afficit; verum Ordines pro conservanda publica tranquillitate suas leges promulgant. Cætera ita fiunt, ut in Republica capite suo orbata solent.

Unio Lublinensis veterem Prussiæ statum mutavit.

§. 69. Hæc Prussiæ norma Regiminis, ante DECRETUM & UNIONEM LUBLINENSEM, de qua quid mutaverit, paucis adhuc nunc mihi dicendum est. Poterat perennitatem sperare vetus Prussorum Respublica, si quod bene sapienterque constituerant Majores, integrum servasset posteritas. At cum pactum Deditionis posthaberetur, ac contra antiqua insti-

l) Vid. Constit. Regni 1598. Artic. Prawá Prusk. Korrekturá.
m) Vid. Edition. hujus Iuris Terr. Ged. de a. 1736. in præfatione.

instituta nova postularentur Ordinum Decreta, alia Regiminis successit facies, Jurisque publici enata est diversitas. Mutata ita quidem est Respublica, minime tamen eversa, neque adeo destituitur legibus suis provincia, ut alienis regatur.

§. 70. Habet normam adhuc, ad quam res suas componit Prussia, habet jura, quibus, quicquid ex prisca libertate superest, innititur. Falluntur & fallunt, qui provinciam ad conditionem Palatinatus Poloniæ redigentes, omnia ad amussim Constitutionum morumque Regni exigunt. Aliud postulat, quæ Prussiam Poloniæ junxit Unio, aliud fides data receptaq;, quam neque SIGISMUNDI AUGUSTI, intercedentibus Borussis, anno 1569. in Comitiis Lublinensibus, promulgatum Decretum, neque adversariorum conatus irritam reddere potuerunt. Præcipua, quæ mutata sunt: Unio Consilii Prussici cum Polonico, ac Nuntiorum Prussicorum cum Polonicis; ut & in Judiciis Nobilitatis ultima instantia, quæ prius penes Consilium fuit Pruthenicum, nunc ad Tribunal Petricoviense delata, ac ab ipsa Nobilitate accepta. Ex Civitatibus enim, uti antea, ad Regem solummodo provocari potest. Non vero evertit.

§. 71. Quod itaque Prussi Regni Comitia adeunt, quod Episcopi, Palatini & Castellani in Senatu Polonico, Equestris Ordinis Ablegati, in Conclavi Nuntiorum sedent, quod denique cum Regni Ordinibus in commune consulunt, id *Decreto Lublinensi* debetur. Sunt tamen plura, quæ priscum morem referunt. Non omnes enim, qui in Prussia Ordines audiunt, Regni Ordinibus accensentur. Succamerarii n) enim & Civitates, tum majores, tum minores, o) neque in Senatu, neque in conclavi Nuntiorum locum habent, sed sua prærogativa Quid Unio Lublinensis effecerit.



n) Loquor de iis, quatenus sunt pars Consilii Pruthenici.

o) Hæ minores Civitates, nulla quidem nostris temporibus vota habent, sed solo Nobilitatis odio & invidia eo redacti sunt, cum Vota eis, ex Privilegiis eorum, omnino competant.

gativa nec nisi in Prussia & inter Prussos gaudent. Dantur ergo in Prussia Ordines, quorum alii simul Regni, alii tantum provinciæ Ordines sunt, quod de nullo Palatinatu Polonico asseri potest.

Nuntii ex Prussia, generali mandato, & ex generali Conventu, ad Comitia Regni mittuntur.

§. 72. Qui Nobilitatis nomine ad Comitia proficiscuntur, non unius Palatinatus, sed totius Provinciæ Nuntii audiunt, mandatoque Generali, quod totam Prussiam respicit, instruuntur. Qui mos ex illo tempore, quod Lublinense Decretum antecessit, ad nostram usque ætatem servatur. Et licet olim per aliquot annorum spatium interruptus, restitutus tamen, quoniam Majores crederent, hoc se medio priscæ libertatis reliquias tueri posse. Inde non mittuntur Nuntii, quoties Generalis Conventus Ante-Comitialis irritus fuerit, ac nefas habetur, si quis ex particulari Conventu, ac unius Palatinatus mandato instructus Comitia adeat. Testantur annales, cum in Comitiis ao. 1593. Nuntii ex Palatinatu Culmensi ad mandata sui Palatinatus provocarent, graviter id iis Palatinum Culmensem exprobrasse, eosque adegisse, ut se ad Generalem instructionem componerent. p) Cum anno vigesimo superioris seculi Nuntii ex particularibus Conventibus, particulari Palatinatuum mandato instructi ad Comitia irent, Civitates majores solenni contradictione coram Actis civilibus oppidi Radzini s. **Rheden**/ intercesserunt. Et 1670. quod generalis Conventus Ante-Comitialis irritus fuisset, Nuntiis ex Palatinatibus Prussiæ in Comitiis activitatem negatam invenimus. Quod & jam olim a. 1625. contigerat, & postea adhuc contigit.

Nobilitas Prussica ad tribunal Petricoviense provocat, Civitates non item.

§. 73. Quod Nobilitatem Pruthenam, quæ se exemplo Polonicæ Tribunali Petricoviensi submisit, audit, hæc conjunctio anno 1585. facta est, quo nimirum anno Equestris Prussorum Ordo ad Tribunal Petricoviense accessit, certis tamen sub conditionibus, quarum non postremæ sunt, ut Borussis secun-

p) Vid. Lengnichs, Hist. Pruss. T. IV. p. 155.

ſecundum leges ſuas receptasque conſvetudines Jus dicatur, iisque integrum ſit, ſi quando e re videatur, a Tribunali ad priſcum inſtantiarum ordinem reverti. q) Quod STEPHANUS I. Rex ſingulari ſcripto ratum habuit, & SIGISMUNDUS III. anno 1589. Conſtitutione Regni roboravit. r) Civitates vero quod attinet, illæ in Comitiis Varſavienſibus anno 1585. Regem humillime orarunt: *ut penes vetera Privilegia, Terrarumque Conſtitutiones, & receptam Judiciorum formam clementiſſime conſervarentur.* Quod cum Rex indulgeret, pronunciaretque, Civitates nullius alterius, quam Regiæ Majeſtatis cognitioni ſubeſſe vel poſſe, vel debere, publico Laudo in Conventu Generali Thorunienſi, anno 1585. cautum eſt: *Inductam a Nobilitate novitatem, Civitatibus in ſuis Juribus, Privilegiis, Immunitatibus ac Conſvetudinibus, nullis temporibus præjudicioſam vel noxiam eſſe debere.* Manſit ergo ultima Civitatum inſtantia coram S. R. Majeſtate, nec aliter, niſi ad ejus Judicia evocationes provocationesque legitime fiunt. s) Unde & Comitiorum Grodnenſium anni 1726. Conſtitutiones, *Art. Trybunal glowny koronny, §. á jáko,* lege publica cautum eſt: *Evocationes Civitatum ad Tribunal intercidunt, & partes ad forum competens, ſub nullitate Decretorum remitti volunt.* t)

§. 74. Ex his, quæ jam dixi, abunde patere ſpero: Primo Pruſſiam antiquiſſimis temporibus, & vel ab origine ſua, liberam Rempublicam, neque antiquis Poloniæ Regibus, niſi ex parte & ad tempus ſaltem, nec Cruciferis ipſis, licet victoribus, niſi ex pacto, nunquam vero aut Imperio Romano aut Pontifici fuiſſe ſubjectam, multo minus tributariam. Deinde Epilogus.
ſi

q) Idem. l. c. Tom. III. p. 452.
r) Vid. Volumen Conſtitution. Regni, p. 514.
s) Lengnichii, Diſſert. de hodierna Reipubl. Pruthenæ facie, p. 114.
t) Conferri omnino hic meretur Scriptum, quod ſub tit. Immunitas Civit. Pruſſiæ à Jurisdictione Tribun. Petric. 1718. prodiit.

ſi normam Regiminis ad Jura, ut vocantur, Fundamentalia exegeris, quæ eapropter in medium attulimus, nihil cum Polonis præter Regem commune habere, nec Reges Sereniſſimos ex præſcripto eorundem Jurium quicquam de rebus, quæ ad provinciam reſpiciunt, ſine Ordinum conſenſu conſtituere poſſe. Mutavit quidem Unio Lublinenſis aliquantiſper veterem Pruſſiæ ſtatum, non tamen evertit. Contigiſſet poſterius, ſi omnia ad amuſſim Decreti peracta fuiſſent, ſed, quæ DEI & Sereniſſimorum Poloniæ Regum indulgentia eſt, Vivit ſuis adhuc legibus, ſua avita adhuc libertate Pruſſia: colit Poloniam, quod ei æterno fœdere juncta, parique zelo opes & conſilia in commune confert, quo bene conſtituta a D. CASIMIRO compages perennitatem conſequatur. Optandum etiam, ut eadem communis Patriæ Jura, quæ in promptu ſunt, Civium cordi tenacius adhæreant, ne, quod Majores multo ſangvine ac facultatum ſuarum diſpendio acquiſivere, turpi ſucceſſorum ignavia amittatur. Vivat! Floreat Patria! Liceat ei, liceat mihi, liceat omnibus ejusdem incolis, donec fractus labatur orbis, Lechici Orbis adorare Solem!

TANTUM.